CONCLUSIONES PHILOSOPHICAE A. R.P. STEPHANO TANROCZY, ...

Georgius Pothoransky, István Tarnóczy, ...

R. P. Ioāni Nadasy S. J.
mittit author servus et filius
olim et nunc in xto humil.^{us}


CEL. PRINCIPI FRANCISCO RAKO[CZI]
Fortes
creandu
fortib,
Nec imbe[llem]
generant
aquilae colu[m]
bam
non
Erit cognitio mendacium
CONCLVSIONES PHILOSOPHICAE
A. R. P. STEPHANO TARNOCZY, SOC:
IESV, AA: LL. et PHIL. DOCTORE PROPOSITÆ
Defendente
NOB: et ERVD. D. GEORGIO POTHORANSKY Ex
Comm: Phil. Baccalaureo. 1665.
Maurit. Lang sculpsit.

PHILOSOPHIA
QUAM
AUTHORITATE,
ET CONSENSU
MAGNIFICI RECTORIS,

Spectabilis Decani, cæterorumque Doctorum Inclytæ facultatis Philosophicæ.

IN ALMA UNIVERSITATE EPIscopali Cassoviensi pro suprema Philosophiæ Laurea consequenda.

Publicè Propugnabit

GENEROSUS & ERUDITUS DOMINUS, DOMINUS GEORGIUS POTHORANSKY de farkas-falva, A. A. L. L. & Philosophiæ Baccalaureus Convictor &c.

PRÆSIDE

R. P. STEPHANO TARNOCZY è Soc. JESU, A. A. L. L. & Philosophiæ Doctore ejusdemq; Professore ordinario, nec non p. t. Facultatis Philosophicæ Seniore consistoriali.

Cassoviæ Typis Iohannis David. Türsch. 1665.

CELSISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO,
FRANCISCO
GEORGIO
RAKOCZI,

De Felsö Vadász,

Electo Transylvaniæ PRINCIPI, Partium Regni Hungariæ Domino, & Siculorum Comiti. Perpetuo de Sáros, ejusdemque Comitatûs Supremo. nec non Arcium & Bonorum Sáros patak, Munkács, Ecsed, Makovicza, Regecz, Tokay, Szerencs, Onod, Lednicze, Szilágy-Somlyo, Borsi, Király Helmetz &c. Hæreditario Domino.

Domino & Patrono gratiosissimo.

)(2 Dum

DUM festivas inter acclamationes, & gratulantium applausus clausam hactenus terminis Supremam Comitis de Sáros authoritatem triumphabundus hodie Celsissimæ Domui Tuæ facis *Perpetuam*, & delecto illo Herculeo: *Non plus ultra*, illud Caroli V. Cæsaris, imperante LEOPOLDO, *Plus ultra* inscribis; patere FRANCISCE PRINCEPS Illustrissime, in solenni hoc meritissimi honoris Tui Festo *Herculem* à me tibi repræsentari: nec exhorresce ad Leoninæ pellis exuvias, ad monstrorum domitricem Clavam; cùm nihil exhibeam, quod Tuum non sit, imò Teipsum tibi reddo, ut in uno *Hercule* coloribus specteris Tuis; qui dum Nemæum induit Leonem, Tu meliori jure *Hercules* Coronatum LEONEM Austriacum induis Clementissimum, Cæli tantùm hostibus terrori. Nodosa Clava qua monstra fregerat, Tibi in sceptrum transivit leve, quo *Hominem*, qui unicus populum constituit, regas. Si quando in-

do infidelitatis Circe, impiâ metamorphosi, Hominibus in Bruta conversis, Æripedes Cervas, infames Stymphalides, ignivomos Tauros, trifauces Cerberos objicit, nunquam non Herculem exhibes. Et jam exantlatis plusquam duodecim maximis pro Fide laboribus, Symboli Apostolici articulos percurristi; & duodenarij Herculei laboris Zodiacum longè superasti, qui non nisi Herculeâ poterant manu superari; hoc est, Virtute Tua Heroicâ, sive quam à Majoribus Batthoreis, cum serenissimo Matris lacte suxisti; sive quam è paterno sangvine per tot gradus in te feliciter derivâsti.

Et hoc est quod Gentilitijs Tuis insignibus præfixisti ipsemet lemma: *Fortes creantur Fortibus*? Quid Bathorei Draconis *Dentibus* fortius, quos quoties Magni illi Stephani, Sigismundi Bathorij hostibus ostendêre, toties sibimet *perpetuum* statuêre trophæum, Patriæ salutẽ, Religioni Pacẽ.

Nec imbellem generant Aquilæ Columbam. Quid Inclytæ Domus Tuæ Aquilæ Alæ, nisi Manus ad involandum æquè ac ad pugnan-

gnandum dexteræ. Has FRANCISCE PRINCEPS, ut Patriam hanc protegeres non semel providus extendisti: has ipsas in orbem cum magna Rakocziani nominis fama protendisti: Alienis volantibus Alas Alitibus accidisti; ne facilè in Magnæ Aquilæ Nidum volent, in quo pulli educantur pro cælo. Et ut altiùs Aquila volaret Tua *cristas* apposuisti: ut liberioribus volaret pennis auxilium à Christo accepisti. *Magna est Fides Tua* Princeps Celsissime, cũ qua nec difficile, nec operosum fuerit mõtes difficultatum superare, cui vis indita e cælo est plusquam gigantæa ad montes transferendos. Altè Tua volat Aquila, in Cælum dicerem, quod halitùs vaporesque ab ipso excitati ne tangunt quidem. Friderici IV. Rom. Imp. dictum fertur, quo nec ab ore Pacis aureum magis prodire posit oraculum: *Principes quasi scopum ejaculatis convitiis expositos esse, sed extra jactum, si eos magnanimitas in Cælo locet* Eadẽ animi fortitudine, Cæli serenitate & probra excipis & laudes. Nec Bathoreanos coronatos *Dentes*, nec Rakoczianas *Aquilas Canum* latratus terrent.

Nec-

Nec est quod integrã alijs Fortunæ Rotam invideas, quâ eveharis altiùs, quandoquidẽ quam à Majorib⁹ cum sangvine traxisti Mediam, Virtute complevisti. Et *coronati Hominis medii è quatuor fluminibus eminentis* lite nuper ad ROTAM evocatâ facta hodie decisio est, ut in ROTA Tua motum incipiat *Perpetuum*, in Patriæ, Tuam, Tuorumque *perpetuam* felicitatem, penes lineam Rakoczianam *perpetuò*. Ita nimirum ubi Sua Majestas Pacis Togam assumpsit, huic etiam *nudo Homini* per Te, Princeps Celsissime, semel *Investituram* donavit, ne *Perpetuò* careret; eidem, ut felicius enataret, Aquilæ alas dedit; ut in portum proveheretur *Rotam* Consilio & Industriâ firmatam suppeditavit.

Vive Principum Comes *Perpetue*, Comitum Princeps Illustrissime Celsissime, quàm diutissimè, quàm felicissimè, & in *perpetuas* posteritates junge Comitibus Principes, Principibus Comites *perpetuos*, & quo nihil majus dici potest Stephanos & Georgios junge Franciscis, Duce Cælo, Comite Felicitate, Famâ, Fortunâ, Fortitudi-

tudine, Formâ, Fide, quas in ipſo nomine, primæ literæ auſpicatiſsimo præfers etymo. Hoc Hungariæ votum! hoc Incly-ti Comitatûs Sároſienſis deſiderium! hic ſummorum æquè ac infimorum affectus. Vive DEO, Religioni, Regno, Tibi, Tuiſque; & quãndo hodie nullius dedignaris obſequia, patere meæ quoque Philoſophiæ munus, ad *Perpetuam* Nominis Tui memoriam, ad laureatas Herculis Tui columnas in Arcum ſuſpendi triumphalem.

Celſitudinis veſtræ

Æternum devotus

GEORGIUS POTHORANSKY.

CONCLUSIONES
EX
VNIVERSA PHILOSOPHIA.

Primum Vniversæ Philosophiæ fundamentum est, notum illud lumine naturæ principium: *Quodlibet est, vel non est.* Cui sequentes nostræ tam affirmativæ, quàm negativæ innitun tur Conclusiones.

De Habitu Logicæ.

CONCLVSIO I.

Logica habitualis est Scientia, quò ad omnes tres partes. Tam Analytica seu Demonstrativa, quàm Topica, & Sophistica

habet cognitiones per causam, per quam res est, & non contingit aliter se habere; omnes tres habent præcepta infallibilia. Tam infallibile est, ex præmissis probabilibus, probabilem inferri conclusionem, quod docet Topica; aut ex fallacibus Sophisticam; quàm infallibile est, ex certis & evidentibus Scientificam deduci. Ita tamen Logica est Scientia, ut etiam sit modus Sciendi, tam respectu aliarum Scientiarum, quàm sui ipsius, respectu diversarum partium, vel ejusdem, perfectius Sciendi. Ratio Scientiæ, habitui practico, vel Arti, non opponitur: quin omnes potiùs Scientias practicas comprehendit. Objectum materiale Topicæ, & Sophisticæ, probabile & fallibile; quò ad modum & objectum formale motivum non est fallibile, nec aliter se habere potest. Ex quo tamen non rectè intuleris, possibilem habitum Scientificum, ad actus evidenter falsos inclinantem: Habitum odio habendi bonum Virtutem fore prudentiæ: Nigromantiam

tiam & Aſtrologiam judiciariam, perperam prohiberi. Scientiâ neminem male uti poſſe, aut illam enti per ſe adæquari.

CONCL. II.

Logica habitualis Docens ab Vtente non diſtingvuntur realiter.

CYtarizando quidem, cum Philoſopho, Cytaredi ſimus; quia tamen Sola nova difficultas novum requirit habitum, Utentis & Docentis Logicæ, tam in actu, quàm in habitu, non obſtante quacunque exercitii difficultate, quæ eſt filia alterius, ab habitu impedimenti, eandem entitatem, diversâ affectam; formalitate, non minùs ac in habitu charitatis erga Deum, & proximum, aſſerimus. Et licet ratio uſus, & præcepti, communis ſit omni facultati practicæ,

meritò tamen excluduntur etiam illæ, quæ ejus directioni subsunt, à ratione Logicæ Utentis: quarum quidem actus suos facit, sed non nisi directivè; nec ullum naturæ dictu fabricatum, quantumvis nobile instrumentum suis fœtibus adnumerat: Quamvis diversitatem specificam actuum ab eadem praxi non excludat; quin imò ultrò admittit, usu utramque generari, in sua materia facilitatem.

CONCL. III.

Habitus Logicæ est purè Scientia practica.

CUm Speculatio & praxis fine distinguantur, ut vult Philosophus 2. Met. Tex. 3. *Speculationis finis veritas, practica autem opus.* Logicam nec quidem secundùm quid speculativam asserimus; libenter subscribentes Philosopho. 1. Met. Tex. 3. à Syllabo habituum speculativo-

lativo-

latívorum, excludenti. Quæ omnes ſuos actus ad opus ordinat, eoſque ſi non formalia, certè virtualia præcepta facit, adeoque naturâ ſuâ inſtrumentum eſt ad ſui operis effectionem ordinatum. Non tamen per hoc omnem ab ea ſpeculationem removeris: imò *eo tempore practici ſpeculantur, dum ſi quomodo ſe habeat conſiderant, non cauſam per ſe ſed ad aliquid.* Fruſtra igitur praxim non tantùm à communi illo principio: *dictum de omni, dictum de nullo*; ſed etiam ab intellectu, quem non niſi extenſivè practicum fieri putas, rejicis: Angelicæ cognitioni etiam alieno ſuppoſito unitæ, uti & brutorum cognitionibus tribuis, ſpeciebus autem ab actibus relictis eandem ſubtrahis; nec praxim præciſâ intentione admittis.

CONCL. IV.

De Objecto Logicæ.

FInis Logicæ cujus munus est, ex mente Philosophi, reliquas scientias ab errore vindicare, & de re omni posse discurrere, cujus pars operis adæquati realiter indifferens sunt Res omnes decem Prædicamentis contentæ, & à Logica intentionaliter dirigibiles, in quas immediate sive ut in objectum in quod, non tamen physicè, suam formam inducit, quæ est operatio intellectûs; de qua magis quidem immediatè agit, quàm de rebus, non tamen ut de parte operis indifferente, debet siquidem pars operis indifferens, realiter distingvi à formali; quo quia in omni statu, caret operatio, merito ab ejus objecto materiali excluditur. Genus & indifferentia, reliquaq;

opera

opera Logica, ſecundum rem ipſam attinguntur ab illa, in quo etiam ſenſu, principia lumine naturæ nota, immediatè de rebus verificantur. Nec Solæ operationes intellectûs, ſunt inſtrumenta Sciendi; Sed etiam res ipſæ, ut comprehenſæ in opere logico. Si quis opera logica v. g. Subjectum Prædicatum, Syllogiſmum non eſſe res aſſerat, nec Univerſalé Secundum rem prædicari: Intellectum, Hominemvè, non tantùm Logicæ ſed etiam aliarum Virtutum moralium objectum adæquatum eſſe, Entia Rationis ſive Logica, ſive Chymerica, operationem ut ſic, Idæamque intentionalem contenderit, ens Rationis & quidem Chymericum fabricabit. Ac pari ratione implicantibus vocibus, & operationibus intellectûs, ut ex objecto materiali implicare Logicam evincet. Et quamvis in ſecundis intentionibus, nulla reſultet Idæa, Logica nihilominus habet Virtutem adjectivam, non tam conceptuum formalium, quàm objectivorum,

quorum principia, & paſsiones conſiderat, dum modum Sciendi, à conceptu formali, in voces derivari, nullo modo concedit; nec tamen differentiam, genus, & ſimilia, inter entia chymerica connumerat.

CONCL. V.

De Diſtinctionib9.

IDem eſſe conſtitutivum & diſtinctivum, plus quam certum tenemus: ac proinde, cùm res omnes entitatibus ſuis, primò & per ſe conſtent, per easdem diſtinguentur. Fatemur quidem, diſtincta rectè explicari negationibus, non tamen diſtingui; prius eſt rem eſſe, hanc, quàm non eſſe illam, idq́ue ita, ut ſi per impoſsibile, poneretur inter animal & rationale identitatis negatio, pro illo priori adhuc formaliter diſtingue-

gueretur, non item consequenter, & pro posteriori, Ipsæ etiam negationes ab invicem, non nisi per suas abusivas entitates distinguerentur: Verùm est, omnia correlativa, non item sola, esse distincta. Si quis distinctionem cum modo identificaret, Deum cum creatura confunderet, nec modum à modo per modum, sine processu in infinitum distingueret. Cùm autem vel ipsum Ethimon vocis pluralitatem significet, certum nobis est, distinctionem in unica entitate non admittere, sed eidem duas entitates & quidem in recto tribuere: Idq́ue vel in ipsa rerum à suis negationibus distinctione. Quæ per hoc bene explicatur, quod sit aleitas & aleitas. In quo tamen conceptu pro priori ratio nec est identitas, nec ejusdem negatio; uti & in unitate sola distinguibilitas sine distinctione. Possibilia actuali carent distinctione: *Petrum esse distinctum à Paulo* non idem est formaliter ac Petrum non esse Paulum: *Petrus non est*

lapis est idem in re ac essentia positiva Petri & lapidis; Idem est formaliter distinctio & distinctum. Non prius est rem esse unam, ac esse distinctam, positâ entitatis existentia, à qua distinguitur. Pluralitas, ut pluralitas, formaliter sumpta, non est distinctio.

CONCL. VI.

De Præcisione objectiva.

IDem simul posse esse & non esse, ipsi lumini rationi repugnat; quod tamen præcisio objectiva evertit, dum eidem indivisibili entitati, non verbo, sed re contradictoria affingit. Neque minùs in re repugnat, idem indivisibile cognosci, & non totum cognosci, quàm existere & non totum existere; tangi, & non tangi secundum totum: Scio quidem idem virtualiter multiplex esse posse in operando, non tamen in patiendo, sicut hæc multiplicitas non tollit identitatem

tatem entitati, ita neque cognoſcibilitatem ab entitate omninò indiſtinctam. Multò adhuc minùs eſſe intentionale illam tollet, cum nihil extrinſecus adveniens tollere poſsit rationem intrinſecam. Alioquin ſine ullo abſurdo potentiæ cognoſcitivæ tribui poſſet virtus identificandi entia, ſine ulla Chymera, non minùs ac tribuatur eidem Virtus diſtinguendi. Tenendum proinde cognito rationali, cognoſci animal, ſecundum rectum, nullam ſenſationem ducere in ſolius animalis notitiam: nunquam actionem cadere in conſiderationem, quin cadat & paſsio: animal & rationale, ex parte objecti, ſine ulla diverſitate attingi, nec poſſe cognoſci ſpeciem, individuumvè quin cognoſcatur genus: multò adhuc minus admittendum eſt; idem eſſe non cognoſci clarè, ac cognoſci non clarè: Repugnantiam involvere ſimultaneam ejuſdem objecti affirmationem & negationem: Plura poſſe prædicari de hominis animalitate, quàm rationalitate.

 Nul-

Nullam fore ſcientiarum neceſsitatem, admiſſo quod cognito animali, aut ente ut ſic, cognoſcantur cum ſuis differentiis, omnia inferiora & his ſimilia.

CONCL. VII.

De Diſtinctione Scotiſtica.

NEmo hactenus animal à rationali realiter, phyſicè diſtinxit, quod tamen facit, qui diſtinctionem formalem ex natura rei propugnat: juxta quam *miſericordia Dei in re non eſt Deus, Sapientia ſecundum rem non eſt miſericordia:* Non minùs quàm rationale non eſt animal in re, ac proinde in Deo aliquid eſſe, quod nec identicè ſit Deus. Inſuper hæc formalis realitas naturas rerum cogit eſſe vel individua ſine differentiis, vel univerſale, ſeu non individuum à parte rei exiſtere. Imò cùm à diſtinctione excludatur omne ſuperadditum,

ditum, necesse est naturam Petri petreitate non distingvi à natura Pauli. Falsum definita diversis definitionibus, objectivè diversas habere essentias: hominem componi ex genere & differentia in re, & ante actum intellectûs: Actum amorís supernaturalem in quantùm talem, non exigere principium vitale, sumpta exigentia pro solo recto: Animal in homine latiùs patere rationali: Idem entitativè sumptum non posse rationem convenientiæ aut disconvenientiæ, minùs similitudinem & dissimilitudinem fundare, non secus ac repugnet eidem esse æquale & inæquale. Datâ similitudine & dissimilitudiue in operatione hominis & Leonis sequi processum in infinitum: Hæcceitatem non nisi differentiam esse accidentalem, sublatâ hâc distinctione omnes propositiones fore identicas &c.

CON-

CONCL. VIII.

De Eſsentia Vniverſalis.

DAri univerſale quod eſt *unum aptum ineſſe & prædicari de multis*, patet ex ratione communi cujuslibet naturæ ſine differentiis ut talibus repræſentatæ, quæ de quolibet ſuorum inferiorum, cum veritate, affirmari poteſt. Cujus tamen univerſalitatem, nec cum Fonſeca in ſtatu poſsibilitatis agnoſcimus. Nec cum Platone in Idæa, ne cogamur defacto admittere fuiſſe aliquid ab æterno, quod non eſt Deus, vel omnia creata eſſe unum, non minus ac in myſterio Trinitatis perſonæ ſunt unum in Deitate. Vel denique poſſe aliquid in rerum natura exiſtere nullâ affectum ſingularitate. Nec cum ſcotiſtis in natura, unitate

forma-

formali in ſingularibus, ſive poſitivè, ſive negativè una. Repugnat naturam Petri, actu eſſe naturam Pauli, & ſolis ſingularitatibus diſcriminari.

CONCL. IX.

De Cauſis Vniverſalium.

AN autem detur natura univerſalis ante actum intellectûs ex vi unitatis ſimilitudinariæ, multi controvertunt. Nobis negare placuit, moti defectu unitatis ad eſſentiam univerſalis requiſitæ, quā natura à parte rei utpote in hæcceitates diſtributa, excludit. Et quamvis natura una unitate convenientiæ dici queat, non tamen univerſalis, cùm in re ſecundùm idem, eandem ſingularium multiplicitatem complectatur, ſolùmque fundamentnm præbeat ad naturam unam formaliter. Formam igitur univerſalis ſtatuimus ſolam cognitionem

nem confuſam, quæ confundat omnes ſingularitates, Solâ ratione communi clarè repræſentatâ. Adeoque natura ſolâ extrinſecâ unitate fit una, quæ quidem ex ſe eſt in multis, non tamen in multis una, cum ſit actu diviſa in multas ſimiles naturas. Ita tamen cognitio plura per modum unius confusè repræſentat, ut vi illius ratio reddi prædicati poſſit. Hinc ſolus intellectus & is creatus, tantum eſt cauſa univerſalium. Non Deus, Voluntas, aut ſenſus, tam interni, quàm externi. Oculus quidem à longè coloratum videt, in particulari, licet ex confuſione Viſionis, dijudicare intellectus nequeat an ſit Petrus vel Paulus. Quando autem videt Colorem pomi non percipiendo ſaporem non eſt abſtractio, ſed potentiæ limitatio, quæ ultra colorem percipere nequit.

CON-

CONCL. X.

De Vnitate & Aptitudine.

HIs positis per locũ intrinsecum ponitur, sublatis aufertur. Unde etiã definitur universale: unum aptum inesse & prædicari de multis. Ac proinde non minùs unitatem quàm aptitudinem ipsi cognitioni confusæ singularia repræsentanti merito identificamus. Cùm nec aptitudo individualis sufficiat ad universale, nec nnitas cognitionis abstractiva ab uno singulari. Materia siquidem universalium est omnium Individuorum collectio, non minùs quàm aptitudo realiter sint ipsa singularia intra eandem naturam multiplicabilia. Et quamvis non diffiteamur aptitudinem consequi ad unitatem, non tamen adæquatam universalis essentiam: Ad eum fere modum, quo in homine rationale

po-

posterius est animali: in composito Physico forma, est posterior corpore & unione, non tamen per hoc est extra essentiam Compositi. Neque ex his rectè inferes naturam humanam præciso omni actu intellectûs aptam esse ad essendum in multis, quia multiplicabilem; fatemur siquidem naturam suâ non carere aptitudine, sed quæ unitatem, quia identitatem, excludat. Multò adhuc minùs rectè unitatem & aptitudinem nullâ prorsus distinctione contendas; quid enim aliud ratio ulla Relationis per τὸ, In importata, quam distinctionem spectabit. Falsum quippe est unitatem universalis involvere ordinem ad plura confusè importata.

CONCL. XI.

De Prædicatione Actuali.

Libenter Philosopho Lib. 1. de Inter. docenti, nullam fore veram affirma-

mationem, in qua universale sumptum universaliter prædicatur, subscribimus: Ac proinde in omni propositione universale suam amittere universalitatem. Et quidem rectè; sicut enim totum non manet totum, positâ partium divisione, ita neque universale manebit, factâ prædicatione, quæ est intentionalis divisio totius potestativi, non minùs, quàm confusa & abstractiva cognitio, ejusdem unio. Atque adeò si hominem de Petro affirmes, ita rationem hominis attinges, ut simul illum petreitati identifices; Et quamvis dari prædicationes, tam genericas, specificas certùm sit, non tamen ut formaliter, sed ampliativè tales; ad eum modum, quo in physicis totum quidem dividitur, non tamen ipsum totum in actuali divisione relinquitur: Hinc si dicas Petrus est homo, speciem prædicabis, & simul eandem evertes. Unde in his & similibus enuntiationibus, Petrus est homo, homo est animal, natura non est communis, sed eadem realiter

cum

cum Petro, & animal cum homine, Hæ propoſitiones Petrus eſt homo, & Petrus eſt aliquis homo, idem in re ſunt, & idem enunciant, ac hic vel ille homo, cum deſcenſu ſcilicet diſtinctivo.

CONCL. XII.

De Prædicatione entis.

AD perfectam præciſionem requiritur, & ſufficit formalitas, ſive cognitio excluſiva formalitatem, quæ non ſunt ipſa, quàm mutua negabilitas, ſub reduplicatione indicat. Unde quia ratio entis neceſſariò nec eſt ens creatum, nec increatum, nec in ſe, nec in alio, cum ſit aptitudo ad exiſtendum, aut ſi malis receſſus à nihilo, & negari de ſingulis ut talibus poteſt, non minùs quàm animalitas & rationalitas, differentiarum, ſuarum excluſiva erit, & quod inde conſequitur univoca ad mem-

bra

bra ſui diviſiva, creata & increata, ſubſtantialia & accidentalia, non obſtante quacunque tranſcendentiâ, prioritate, participabilitate, ordine aut dependentiâ, quæ ſolum realitatem attingunt. Idem omnino ſentiendum de perſeitate, & inaleitate, ita ut mutuam neceſſariò admittas præciſionem, quæ à ratione differentiali excludentur in ſua formalitate entis excludat rationem. Ille ſiquidem animal per animal contraxit, includens ab incluſo: non diſtinxit, prædicationem entis in alio eum prædicatione entis per ſe confundit, qui inaleitatis formalitatem, entis formalitati incluſit, nec inter ens & non ens medium admittit, differre dixeris, non rectè tamen perſeitatem: formalem ad exiſtendum áptitudinem apellaveris, utpote quæ ut talis nec eſt objectum intellectûs, nec habitudinem receſſus à nihilo importat. Et quanquam nequeat à parte rei, ponî ulla differentiarum, quin ponatur ſimul ejus differentiarum, falleris, tamen ſi idem

dem de formalibus eorum conceptibus senseris, & vel invitus in animali rationali contrarium admittere cogeris, & simul non bene enti rationem genericam respectu Dei attribueris.

CONCL. XIII.

De Prædicabilibus.

IN numero prædicabilium à communi non recedimus, ad quæ omne quod prædicari potest reducitur. Si per modnm essentiæ completæ indifferentis, erit genus: Si per modum determinativi, erit differentia; si ut tota essentia, erit species; si ut accidens necessariò connexum, erit proprium; si verò non necessariò connexum, nomen communis accidentis sortietur. Genus quidem est prædicabile de pluribus specie differentibus, in eo quod quid est incompletè: per quod distingvitur ab omni alio quod non est genus. Differentia autem est prædicabilis, in quale quid, alia est quæ con-

contrahit genus generalissimum, sive subalterna, alia quæ distingvit genus infimum, à quo & nomen traxit. Et hæc quadruplici munere gaudet, primò est contractiva generis, secundò constitutiva speciei, tertiò distinctiva rerum, quartò prædicabilis de inferioribus vel subjicibilis generi. Ex his duobus consurgit species prædicabilis in quale quid de pluribus numero differentibus compleтè; utpote ratione sibi propriè competente. Alia est prædicabilis, alia subjicibilis, prior habet universalitatem, posterior ut talis, eâ privatur. Reliqua duo Proprium & Accidens prædicantur in quale simpliciter: proprium necessitate adstringitur, alterum nulla essentiali lege suis inferioribus obligatur. Proprium communiter quadruplex statuitur. Aliud enim soli speciei, sed non Omnibus sub ea contentis, ut esse musicum soli homini. Aliud omnibus tribuitur sub eadem specie, sed non solis. V. g. esse bipedem; aliud omnibus & solis, sed non

non ſemper; V. g. ridere ſoli animali rationali. Aliud demum quod convenit omni, ſoli, & ſemper, ut eſſe riſibile quod & proprium quarto modo appellatur. A quibus omnibus ratio communis abſtrahi poteſt, non repræſentando formaliter & explicitè, eorum differentias, ſed tantùm rationem prædicabilitatis. Et hæc abſtractio ſortietur nomen generis reſpectu inferiorum, & ſimul etiam ſpeciei, ut eſt unum ex inferioribus.

CONCL. XIV.

De Ante Prædicamentis.

INdividuum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, aliud eſt primo intentionaliter ſumptum, & eſt ipſa natura ſingularis, aliud ſecundo intentionali-

sonaliter, & est idem individuum abstractum, & subjicibile, vel prædicabile: Aliud determinatum, quod proprio nomine exprimitur, ut Petrus. Aliud vagũ, per particulas *aliquis, quidam, non nemo*, &c. distractum. Conceptus essentialis individui abstracti inter univoca censetur, in qua ratione non minùs conveniunt, quàm in ratione hominis vel animalis, &c. *Univoca* autem dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata eadem. Æquivoca his contraria, quorum nomen commune, ratio verò per nomen significata prorsus diversa. Inter hæc duo, datur participium quoddam Philosophi, cùm quod Analogum vocamus, utpote ab utroque aliquid participans. Sicut inter actum Scientiæ & opinionis datur unus actus Scientifico opinativus. Habet hoc nomen commune & rationem per nomen significatam, secundùm terminum eandem; & vocatur Analogum Attributionis; diversam verò secundùm habitudi-

nem ad terminum; & dicitur attributum, sive Analogum proportionis. Et quocunque horum deficiente, vel sunt tantum univoca, vel tantum æquivoca.

CONCL. XV.

De Prædicamentis.

PRædicamentum est series & ordo quidam prædicatorum à summo genere usque ad individuum per genera & Species intermedias deductus. Ens à diverso essendi modo, dividitur immediatè in Substantiam, & Accidens; Mediatè verò in Substantiam, Qualitatem, Quantitatem, Relationem, Actionem, Passionem, Durationem. Ubi, Situm, & Habitum: Cujus membra divisionis cum Philosopho *Prædicamenta* vocamus. Nec plures sunt modi existendi primæ Substantiæ quàm decem. Quicquid inexistit primæ Substantiæ, vel est

intra,

intra, vel extra illius essentiam. Si primum, erit Prædicamentum Substantiæ; Sub qua continentur Substantiæ tam corporeæ, quàm Spirituales; Si extra essentiam; vel inhæret Substantiæ intrinsecè, vel afficit extrinsecè. Si primum, vel absolutè, vel respectivè; Si hoc, erit Prædicamentum Relationis: Si illud, vel sequitur materiam, eritque Prædicamentum *quantitatis*. Si formam *qualitatis*. Deinde, vel afficit extrinsecè, in ordine, ad Potentiam activam vel passivam: illud facit Prædicamentum *Actionis* hoc Passionis: vel afficit ut mensura quantitatis, temporis, vel divisionis, primum constituit Prædicamentum *Ubi* quod significat rem existentem in loco: Secundum *Durationis* Tertium facit Prædicamentum *Situs*: Vel denique accidens afficit Substantiam mere extrinsecè, & habetur Decimum prædicamentum Habitus. Ad Prædicamentorum. Distinctionem, licet realia sint, non sequitur realis distinctio; Rationis sufficit ut Pa-

tebit in relatione, quæ non diſtingvitur à fundamento, & termino, quæ vel ſunt Subſtantia, vel Qualitas, vel Quātitas rei: Et apertè Philoſophus aliud Prædicamentum eſſe Actionis, aliud Paſſionis poſuit, licet Actionem, & Paſſionem realiter non diſtinxerit. Ut autem inter Prædicamenta directè ponatur ſufficit, ut ſit Ens, finitum completum, per ſe unum, & reale. Summum porro genus in prædicamento Subſtantiæ ſtatuimus in illo gradu cui primo debetur tanquam principio radicali ſubſiſtere completè & incommunicabiliter; prædicatur univocè de inferioribus, nec habet ſupra ſe aliud, nulla caret proprietate, nec eſt in alio ut in Subjecto inhæſionis. Nam tò aliud ſupponit pro Solo compoſito.

DEUS tamen defacto non ponitur in Prædicamento Subſtantiæ.

CON-

CONCL. XVI.

De Relatione.

RElativa dicuntur rectè, quod sint ea, quibus *hoc ipsum est, esse ad aliud*, Sive quod sint ea, quæ hoc ipso quod sint *aliorum esse dicantur*: vel quodammodo alter, ad alterum; ac proinde ut cum communi loquar Relatio est nexus, non quidem Physicus, sed Logicus, quamvis independens ab intellectu, tria essentialiter importans, fundamentum, Terminum, & Rationem fundandi; Non tamen omnia tria realiter, & Phisicè distincta. Multò siquidem probabiliùs putamus rationem fundandi, non tantùm in Relationibus fundatis in Unitate & Numero, verùm etiam in Actione à duobꝰ extremis non distingvi, ipsamque Relationem fundamentũ quidem in recto, terminum verò in obliquo

 im-

importare, quæ est in fundamento ut in subjecto denominationis, & habet rationem accidentis comparata cùm fundamento, non item cùm utroque. Neque propterea omne concretum ex recto & obliquo erit relatio: sicut neq; hoc ipso quòd quis vult relationem, vult & relatum, ut patet in DEO qui odit peccatum, non item cognitionem indifferentem. Porrò nexus relativus dicit necessitudinem, vel repugnantiam inter duo realiter ab invicem distincta, ipse ab utroque indistinctus; qui non aliter ordinat fundamentum ad aliud, quàm quod illud intelligi, & hic, & nunc, sine illo esse non posit. In omni Relatione fundamentum subit vicem subjecti, terminus autem formæ. Ad eum modum quo æqualia vel inæqualia sibi tribuunt denominationem secundùm quid extrinsecum. Unde nequit idem, ad seipsum referri.

CON-

CONCL. XVII.

De Relatione Prædicamentali.

RElatio Prædicamentalis est nexus Logicus duorum ab invicem realiter distinctorum, fundatur vel *unitate*, & *numero*, vel *actione* & *passione*, vel in *mensura*, & *mensurato* utrique extremo per accidens adveniens: Quem si in modo Superaddito cōstituas, ad minimum saltum pulicis totam rerum universitatem intrinsecè alterabis, & campum longissimum processui in infinitum aperies. Supponit quidem nexus hic, pro solo fundamento, terminum tamen intrinsecè importat in obliquo, & propriè nec terminatur ad absolutum, nec respectivum, cum ex nostra Sententia sit indistinctus, ab aggregato, resultante ex fundamento, termino, & ratione fundandi itidem indistinctâ,

 quod

quod ad nihil refertur. Ne tamen quæstio sit de nomine, neque fundamentum Relationis necessariò referri dicimus ad respectivum. Cui non repugnat Philosophus asserens Relativa debere esse simul naturâ, & cognitione; id enim aliud non est, quàm quòd in eodem Signo, quo terminus terminat fundetur correlatio. Ut patet in Filio, cujus entitas formaliter per filiationem redditur respectiva Patris entitatis. Dari autem Relationes Prædicamentales in re præciso omni actu intellectûs, probat duorum Similium coexistentia. Paternitas creata, & Filiatio; diversitas Dei à creatura, nullo interveniente modo supperaddita sola essentiæ perfectione id præstante; non minùs quàm præstent duo æqualia & similia à fundamento, & termino inseparabilia. Et quamvis nexus Prædicamentalis identificetur jam enti Substantiali, jam quanto, non tamen rectè illum excludas à prædicamento Relationis, qui unitate physica est unum per accidens, non item Logi-

Logica. Relatio Patris in creatis non est idem adæquatè cum ratione generantis. Requirit illa actu terminum existentem, ne hodie natus puer dicatur Pater ex vi Filij; post annos triginta possibilis. Imò & aliquid existens à non existente actu, quò ad suum esse dependere.

CONCL. XVIII.

De Relatione Transcendentali.

INter nexus Logicos jam explicatos, meritò numeratur Transcendentalis, communiter vocitatus, qui est fundamenti cum termino, sive actu, sive possibiliter tantùm existentis, tam arcta unio, ut hoc de statu possibilitatis dejecto, dejiciatur & illud, hinc & respectus essentialis dicitur; non quasi essentia illius sit fundamenti entitas, formale & primò constitutivum, sed quia prædicatum illud fundans in sensu reali, conver-

titur cum prædicatis essentialibus fundamenti, ut patet in Petro, qui hoc respectu respicit Deum non vi animalitatis, rationalitatisvè, sed abaleitatis, quæ dari hos respectus plane probat, uti & modi actualis dependentia à modificato, si tamen illum non implicare volveris. Creatura namq; cum Creatore, modus cum modificato tam arctè sibi juncta sunt ut nec hic, nec illa nisi posita Creatoris & Modificati possibilitate inter possibilia censenda sit. Neque nobis in hoc contrarius est Philosophus qui 14. Met. Text. 5. ait *quod autem ad aliquid minimè Substantia:* & paulò infra: *Nihil enim est, nec parvum; nec magnum, nec multum nec parvum Substantia:* Ubi videtur omne prædicatum intrinsecum, & Substantiale excludere ab esse respectivo. Nisi enim nobiscum sentiat fide refutabitur, quæ tenet Personas Divinas hoc nexu esse respectivas. Rectè proinde Philosophus locutus est contra eos, qui elementaria corpora cum puro respe-

respectu identificabant, nec quidquam Substantiarum generari & de novo produci admittebant: ac proinde sensus Philosophi est essentiam substantiæ malè in respectu constitui, utpote cum hæc generetur, non item ille. Et quidem quàm certum est dari hos nexus, tam incerta est illius latitudo. Alij siquidem Deum cum Creatura, causas omnes creatas, cum effectu creato: potentias cum objectis, & è contra hoc respectu connectunt. Alij soli enti creato cum increato, & modi cum modificato, non è contra, exclusis omnibus causis secundis, hunc inesse effectum volunt; quibus & nos subscribimus, & omnem causam tam primam, quàm secundam, tam activam, quàm passivam, cum hæ omnes non aliud dicant, quàm virtutem intrinsecam potentem quantum est de se causare effectum non implicantem, ab hoc nexu absolvimus: Nam effectus causarum secundarum utpote à sola causa prima producibiles

biles ad prædicamentalem relegamus. Ex quibus facile colliges, sicut defacto Deus nulla facta suæ omnipotentiæ mutatione posset producere Chymæram, sublatâ ex parte objecti repugnantiâ, ita eadem posita in rebus possibilibus, eundem permansurum. Cujus omnipotentia nõ nisi in actu primo proximo, non itẽ in remoto, per ipsam Creaturarũ possibilitatem constituitur, & ad actum secundum completur. Unde falsum est, implicante muscâ coexstituram duplici contradictorio; Neque enim prius est esse effectum possibilem, quàm Deum illum posse producere sumptâ potentiâ pro virtute intrinseca Deo identificata; ac proinde excludit omnem Creaturæ exigentiam, quia Summam imperfectionem. Dicimus proinde illam solam potentiam implicare, cujus actus implicat ex principijs intrinsecis entitati potentiæ.

CON-

CONCL. XIX.

De Reliquis Prædicamentis.

QVantitatis species subalternæ: Magnitudo, numerus. Magnitudinis species infimæ sunt: longitudo, latitudo, profunditas. Numerus est vera species quantitatis & infima, nec diuiditur in species, nisi accidentales, ut calor in maiorem & minorem. Temp⁹, locus Oratio, nō sunt quātitates. Qualitas est accidēs absolutum, determinativum substantiæ in ordine ad modum essendi & operandi. Proprietas prima qvalitatis: *Habere contrarium*; Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se mutuò expellunt. Contrarietas non ex præcisa ratione qualitatis, ut sic oritur; lumen non habet contrarium, sed privationem, sicut forma substantialis. Contraria debent excede-

re totam intensionis latitudinem, quæ in octo gradus dividitur, ita ut summus calor e.g. contineat non nisi octo gradus, & similiter summum frigus, &c, Itaque calor ut quatuor, & frigus ut quatuor non sunt contraria; Idem dic de calore ut duo, & frigore ut sex, quæ simul sumpta non excedunt Octo. At calor, ut quinque, & frigus ut quatuor sunt contraria Distantia contrariorum nihil aliud est, quàm diuersitas eorum specifica. Proprietas altera est: suscipere magis & minùs, seu esse capacem intensionis, & remissionis; non quidem in abstracto, sed in concreto: magis & minùs in abstractò denotat inæqualitatem specificam in essentia: in concreto verò, significat inæqualitatem integralem, sic non dicitur calor magis vel minùs calor, sed calidùm magis, vel minùs calidum: & hoc omni & soli conuenit qualitati. Substantia & quantitas magis & minùs non suscipiunt. Cùm autem qualitas sit quædam perfectio substantiæ alia est intrinseca, vel tan-

quam

quam principium innatum operandi, ut potentia, vel tanquam principium acquisitum, vt habitus & dispositio: alia extrinseca, vt passio & passibilis qualitas, forma & figura, quæ rectitudinem etiam & curuitatem, raritatem & densitatem, asperitatem & levitatem, &c. comprehendit, & universim dici potest qualitas magnitudine nitens.

Actio univocè dicitur de omnibus actionibus, quibus substantia vel accidens producitur, ut de generatione, quâ ignis generat seu producit ignem ex ligno & de calefactione, qua producit calorem in ligno &c etsi quæ producentur, quæq; dicuntur actionis termini, non sint univoci. Eodemmodo passio univocè dicitur de omnibus passionibus. Sic motus, seu motio, vel mutatio, ut est species actionis, vel passionis, est univocum quid, & in prædicamento actionis ac passionis licet termini motûs, substantia & accidens, non sint univoca. Actio & passio non nisi ratione differunt.

Ubi?

Ubi? & *Quando?* formaliter & in abstractò nihil est nisi Locus, & Tempus. Esse verò in loco & tempore, est concretum, quod idem est ac esse locatum, seu in loco ac tempore existens. Situs est dispositio partium corporis locati in partibus loci: conuenit solis corporibus. Ad habitum seu habere pertinent omnia quæ hobentur extrinsecè, seu accidentaliter: ut vestes, quibus tegimur; arma, quibus protegimur; instrumenta, quibus ad actionem externam instruimur; ornamenta, quibus ornamur, ad quæ etiam contraria pertinent, quibus dehonestamur; vincula, quibus ligamur.

CONCL. XX.

De Apprehensione.

RATIO communis tribus mentis operationibus est repræsentatio; utpote expressiva imago objecti, *prima mentis Operatio* est in Terminis, *Secunda*, in enunciatione, *Tertia*, in sylle-

syllogismo. Prima *simplex apprehensio*, Secunda *Judicium*. Tertia *Discursus* dicitur. Apprehensio est cognitio intellectivâ, quâ objectum simpliciter cognoscitur, sine determinatione, an, sit, vel non sit? Terminus alius est significativus, ut homo: alius non significativus, ut Blyctri. Signum verò duplex est, aliud in actu primo, quod *aptitudinaliter* in actu verò secundo, quod actu potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat. Si suapte natura *naturale*. Si ex libera hominum institutione, ad beneplacitum nuncupatur, utrumque duplicem requirit habitudinem, alteram ad objectum, quod repræsentat, alteram ad potentiam, cui repræseutatur; ita quidem ut alterutrâ harum deficiente ratio signi haberi nequeat.

Ejusmodi signa sunt etiam termini vocales, quorum tamen nullus suapte natura est significativus, nisi conceptus animi duntaxat in communi, ut probant data homini naturalia loquendi instrumenta;

ta; quæ gratis natura concessisset, nisi per hæc loquendo conceptus suos naturaliter manifestare potuissent: in particulari verò, ex libera duntaxat hominũ institutione, qui per : ly homo naturã intelligi volunt. Deinde, cùm voces apud omnes non idem significent, naturale signum dici nequeunt, qualis est cognitio aut conceptus hominis qui omnibus ejusdem objecti nimirum hominis est repræsentativus. Per voces cognoscitur, præter objectum, etiam conceptus loquentis, adeoque sunt utriusque significatiuæ, illud tamen minùs, hoc magis principaliter, maximè, cùm non pro conceptu, sed re supponant. Ita voces illæ: *Sapiens dominabitur Astris*. Conceptum quidem manifestant, non tamen pro eo, sed homine sapientiâ prædito supponunt. Quòd si tamen principalitas desumi debeat à beneplacito primo instituenti significationem vocum, voces primariò sunt signa, non rerum, sed conceptuum. Terminus propriè definitur

esse

esse id, in quod resolvitur propositio, ut: *Prædicatum*, vel *Subjectum*. Alius *Vnivocus* est, alius *Æquivocus*, alius *Analogus*. Ille significat rationem substantiæ omnino eandem, iste omnino diversam, hic partim eandem, partim diversam. Alium *concretum* vocamus, qui subjectum & formam *Abstractum*, qui solam formam significat. Alius iterùm *connotativus est*, qui in sua significatione notat terminum, ut Pater Filium, sine quo perfectè non significat, à qua connotatione absolvitur terminus absolutus uti: Homo. Termini deniq; omissis alijs in plurali, dividuntur in *Pertinentes*; quorum un⁹ alterum infert ut homo risibilis; & *Impertinentes*, qui se mutuo nec includunt ut Doctus, justus, qui verò se invicem excludunt, *repugnantes* dicuntur. Hi, vel *disparati* sunt, id est: vel nullam ad se mutuo dicentes connexionem ut homo, lapis; vel *oppositi*, si se in eodē subjecto secundùm eandem rationem non

non compatiuntur, quorum oppositio quadruplex est. *Relativa*, si se mutuò respiciant. *Contraria*, si se ex eodem subjecto expellant. Si verò unum neget, alterum, secundùm quid, scilicet in subjecto apto. *Privativa*, si simpliciter contradictoria dicuntur. Inter Terminos *Nomina* sunt & *Verba*; *Nomen* est vox *determinatè ad placitum significativa sine tempore, cujus nulla pars separatim* significat *verbum*, insuper tempus consignificat, *estq; semper eorum*, quæ *de alio dicuntur nota*. Differentia inter significare, & consignificare tempus, hoc est: quòd illud sit solum temporis signum, quod etiam vocibus convenit, ut dies, annus, sæculum, hoc verò primariò signum est alicujus actionis in tempore, quod secundariò significat, vel præsens præteritum, vel futurum in quo actio ponitur. Verbum est duplex, aliud quod rei suum esse habenti aduenit, estq; *adjectivum*, ut sunt verba omnia excepto verbo *Sum*, quod substantivum est.

CON-

CONCL. XXI.

De Secunda Mentis Operatione.

IUdicium est Determinatio intellectus, ad alterutram Contradictionis partem, Distinguitur à prima operatione, quæ est simplex objecti appræhensio sine determinatione ad esse vel nõ esse; quælicet in tertia Operatione reperiatur, hæc tamẽ, quæ se determinat propter mediũ terminum ut motivum formale à judicio discrepat. Hinc actus dubios, in differentes ad simplicem appræhensionem relegamus, Opinativos utpote debiliter se saltem determinantes, huc revocamus. Determinatio hæc fit in particulari per *affirmationem* & *negationem*, quarum differentiam non desumo ex parte objecti, tendunt enim in idem objectum, nempe in identitatem inter prædicatum, & subjectum; quia illa per affirmationem, hæc

hæc verò per negationem afficit. Differunt ex parte actûs seu modi tenendi ad eum ferme modum, quo voluntas per actum prosecutionis tendit in objectum, illi se quodammodò applicando, vel per actum fugæ, ab eodem se auersando. Judicium in essendo est simplex qualitas, & ex modo suo tenendi est simplex assensus. Sive affirmet negativam: ut *Hominem non esse lapidem est verùm*, siive neget affirmativam, ut: *Hominem esse lapidem non est verùm*: Quia unico actu assentimur, & asserimus prædicatum sive complexum in esse, vel non in esse subjecto: Illa est *conformitas judicij cum objecto* prout est in se à parte rei, *hæc difformitas*, juxta illud *ex eo quòd res est, vel non est propositio vera vel falsa est.* Veritas, idem de falsitate sentio, duplex alia est *speculativa* quam signatam; alia *practica*, quam exercitam vocant; *illa est sola veritatis cognitio*, hæc est *ad apprehensam veritatem intellectum determinatio*,

quæ

quæ propriè ad perfectam enunciationem pertinet; apprehensioni circa objectum simplex competit sola veritas, cui tamen circa objectum complexum tam veritas, quàm falsitas, sed speculativa tantùm convenire potest.

CONCL. XXII.

De Veritate Propositionum.

Veritas est Conformitas actus cum objecto: & est species quædam æqualitatis consistentis in indivisibili, non patiens ullum recessum etiam minimum ab objecti adæquatione. Impossibilè est illum mutari non mutato objecto, à quo essentialiter specificatur. Non tamen ita actui intrinseca; ut essentialiter sit verus necessitate antecedenti. Ad formalem veritatem requiritur enuncatio constans prædicato pro tempore per copulam importato, & quidem aliquando con-

confusè, aliquando determinatè accepto; Si confusè, habebit descensum copulativum, vel disjunctivum, ut patet in hac: *Homo currit una hora*; Implicat propositionem semel veram transire in falsam, non minùs quàm Petrum hoc instanti currere, & non currere. Neque siquidem eadem propositio repræsentare jam hoc, jam illud tempus cujus est essentialis imago, uti & objecti: Nec contrarium evincit transit⁹ actûs voluntatis de non libero, ad esse liberum, posita advertentiæ diversitate, à qua voluntas in esse liberè operantis régulantur. Minùs adhuc indifferentia hujus propositionis: *Homo currit*, ad significandum Petrum, vel Paulum, de quorum utroque verificari potest. Cùm enim utrumque sub disjunctione significat, de utroq; sub disjunctione verificari potest. Et licèt dicendo: *Verbum necdùm est incarnatum*, falsificatur defactò propositio, non tamen sequitur eandem esse veram & falsam, tametsi ante factam Incarnationem

pro-

prolata fuerit vera. Dantur propositiones magis necessariæ: ut patet in his: *DEVS existit, Homo existit*, non tamen magis veræ, cùm ut dictum est veritas sit *adæquatio actus ad objectum*; Adeoque sicut ulna ulnæ, palmus palmo non potest esse magis, minusvé æqualis, ita nec una propositio magis minùsve vera. Hinc licet admitteretur actum falsum circa objecta divisibilia posse esse magis falsum, non tamen eadem erit ratio veritatis, sicut neq; eadem est inæqualitatis. Nam, si dicas Centum homines currere, currentibus tantùm nonaginta novem, non minùs erit intrinsecè falsa, quàm foret currentibus tantùm quinquaginta novem. Neq; refert quòd propositio, quâ dicitur: *Petrus homo* totam repræsentet essentiam, illa verò quâ dicitur *esse animal*, partem essentiæ; par enim est utriusq; conformitas, cum objecto à se repræsentato. Prima enim habet pro objecto speciem, secunda verò tantùm genus, cui ut suppono non minùs

conformis est, quâm prima toti speciei. Propositiones affirmativæ, & negativæ non terminativo, sed tantùm objecto motivo diversificantur objectivè.

CONCL. XXIII.

De Ente Rationis.

ENs Rationis quod *habet esse tantùm objectivè in intellectu*, inter possibilia connumeramus. Cujus essentiam non in unione ficta, sed reali, partibus itidem realibus, uniri tamen Physice impossibilibus à parte rei constituimus, ita ut sit aggregatum quoddam ex tribus realibus entitatibus, habens pro forma cognitionem itidem realem. Ac proinde duplex esse illi damus. Alterum intrinsecum, purè reale, indistinctum ab omnibus partibus realibus, alterum verò extrinsecum, ab intellectu derivatum, quatenus est concretum intentionale, contra

contra exigentiam rerum, inter se essentialiter dissidentium. Implicat Ens Rationis simplex resultans ad positionem duorum contradictoriorum. Hinc omnis Chymæra ad minimùm virtualiter est composita, nec fieri potest, nisi per cognitionem essentialiter falsam, quæ sola potest ferri intentionaliter in duo incompossibilia, unionem illis repugnantem applicando, idque in materia necessaria. Unde patet, cur Creaturæ naturâ possibiles, hircocervus pictus, in Christo natura humana unita Divinæ, negationes, & privationes, cognitio Angeli per modum juvenis alati, & omnis denominatio Logica non sint entia Rationis. Neque enim ad esse Chymæræ sufficit cognitio unius per modum alterius. Chymæra est effectus solius intellectus creati, quia is solus attingit essentias rerum cum imperfectione, quæ Deo repugnat enti cognoscenti necessariò res eo modo, quo sunt, & esse possunt. Voluntas cum supponat sua objecta, meritò excluditur ab

ipsius causalitate; Sensus quidem tàm interni quàm externi habent vim combinandi objecta, sed non nisi ea quæ in re combinari possunt, etiam actione Physica; quandoquidem horum objecta sunt mera accidentia. Fit autem per omnes tres mentis operationes.

CONCL. XXIV.

De Veritate Futurorum contingentium.

ALterutrum judiciorum contradictoriorum, de futuris contingentibus, factâ suppositione, quod sit vel non sit, determinatè verum est, aut determinatè falsum. Ex eo enim quod res est, vel non est, licet contingenter determinate tamen est, vel non est, consequenter & propositio, circa ejusmodi objectum, facta hac suppositione, deter-

determinate vera, vel falsa est. Nec enim inter duo contradictoria, quæ hic obveniunt datur medium. Falsum hoc videtur ijs præsertim, qui cum præscientia Dei nesciunt combinare arbitrij nostri libertatem. Sic enim inquiunt determinate cognoscit Petrum eras peccaturum, Petrus eras necessariò peccabit, siquidem cognitio Dei infallibilis est, aut si contingenter peccabit, quomodo determinate peccaturum dicèmus? Verùm libertati nostræ nihil præscientiam Dei præjudicare, non enim quod Deus sciat peccatum futurum, ideo futurum est, sed potiùs ideo scit, quia est futurũ, adeoq; præsciẽtia illa non inducit necessitatẽ *antecedentẽ*; Sed quia peccatũ ex suppositione futurum, ideo Deus illud prænovit, & ut præscius futurorum non fallitur, quia peccatum quod ex Suppositione erit necessariò ponetur *necessitate consequenti*, non verò *antecedenti*, quarum hæc, non verò illa libertatem lædit.

CONCL. XXV.

De Propoſitioni- bus inſolubilibus.

INſolubiles dicuntur, quarum veritas & falſitas difficulter ſolvi poteſt: Harum aliæ ſunt falſificantes & verificantes ſeipſas, vel alias, ad quarum veritatem ſequitur illas eſſe falſas & contrà. Duobus autem modis propoſitio ſeipſam falſificat & verificat; immediatè ſcilicet, vel mediatè; immediatè quidem, ut ſi dicas: *Hæc enuntiatio eſt falſa*; ſupponendo pro ſeipſa; quæ ſi vera eſt, ergo ſignificat eſſe quod eſt, cùm ſit affirmativa: ſed falſam eſſe ſe ſignificat, ergo eſt falſa, ergo à primo ad ultimum, ſi eſt vera, eſt falſa. Si autem eſt falſa, ergo ſignificat eſſe quod non eſt: ſed ſignifica ſe eſſe falſam, ergo non eſt falſa, ergo à primo ad ultimum, ſi eſt falſa, non eſt falſa, ac proinde vera, vel nec vera nec

falſa.

falsa, quod est impossibile: sicut impossibile est idem esse & non esse: & necesse est, quodlibet esse vel non esse: item ex vero nonnisi verum sequitur in bona consequentia. Idem dic de hac propositione: *Ego iam falsum dico*: quæ si est falsa, ergo est vera, quia dicit se esse falsam, sicut est: si vera, ergo est falsa, quiâ dicit se esse falsam, cùm sit vera. Similiter si quis pingens circulum in eo scribat: *quicquid in hoc circulo scriptum est, falsum est.* Et sic de cæteris.

Sequentes propositiones immediatè se falsificant & verificant, altera scilicet per alteram, ut si Petrus Paulo dicat: *Tuum proximum dictum erit falsum*; Paulus autem respondeat: *Proximum tuum dictum fuit verum.* Si propositio Petri est vera, tunc Pauli propositio est falsa: sed si propositio Pauli est falsa, tunc etiam propositio Petri est falsa, ergo si propositio Petri est vera, est etiam falsa: Si autem propositio Petri est falsa, tunc propositio Pauli est vera: si propositio

Pauli eſt vera, tunc etiam propoſitio Petri eſt vera, ergo ſi propoſitio Petri eſt falſa, eſt etiam vera: idem dic de propoſitione Pauli.

Aliæ ſunt propoſitiones, ſeipſas poſſibilitantes & impoſſibilitantes; id eſt, ex quarum poſſibilitate ſequitur impoſſibilitas earum & contrà: ut *hæc enuntiatio eſt impoſſibilis*. Aliæ ſuam neceſſitatem vel contingentiam deſtruentes: ut *hæc propoſitio non eſt neceſſaria: hæc propoſitio non eſt contingens*: Si prima ponatur eſſe neceſſaria, & ſignificare ſeipſam, tunc neceſſe eſt non eſſe, quod dicit non eſſe; ſed dicit ſe non eſſe neceſſariam, ergo neceſſe eſt eam non eſſe neceſſariam, ac proinde ſi eſt neceſſaria, ſequitur quòd etiam non ſit neceſſaria. Si ſecunda propoſitio ponatur eſſe contingens, tunc prædicatum contingentiæ, ita abeſt illi, ut poſſit etiam adeſſe, vel ita adeſt, ut poſſit etiam abeſſe: ponatur ergo reipſa abeſſe, illa propoſitio non eſt contingens, ergo ex eo quod ponitur eſſe contingens

ſequi-

sequitur quòd non sit contingens. Quid autem dicis ad illam. *Petrus juravit se ex ponte deturbaturum omnes, qui dicunt falsum, qui autem dicunt verum, permissurum transire.* Deinde venit Paulus, & dicit Petro: *Tu deturbabis me de ponte?* Si deturbet, facit Pauli dictum verum, & deturbat eum, qui verum dixit, consequenter facit contra juramentum: Si non deturbet, facit ejus dictum falsum, & non deturbat eum, qui falsum dixit, ac proinde facit contra juramentum.

CONCL. XXVI.

De Discursu.

Discursus in genere benè definitur, quod *sit oratio in quâ quibusdam positis alterum quid à positis necesse est contingere eò quòd hac sint.* Alius est *successionis* alius *causalitatis*, ille est sine, hic cum dependentia unius cognitionis ab alia: Si

vi materiæ *materialis*, si vi formæ aut modi, *dependentia formalis* dicetur. Discursus causalitatis alius est Virtualis, cum uno actu realiter indivisibili; Alius *Formalis* cum pluribus cognitionibus realiter distinctis, *veritas objectiva* una ex alia cognoscitur: Si ex singulari, *singularis*; *Exemplum*; si ex enumeratis particularibus universalis. *Inductio*; Si ex una infertur *Enthimema*: Vel denique sit *Syllogismus* si ex duabus propositionibus ritè dispositis tertia deducitur. Syllogismus *causaliter* pro solis præmissis causantibus conclusionem, *formaliter* pro conclusione accipitur, per quod distingvitur ab omni alio; à prima operatione quæ non est illativa, à secunda quæ non est discûrsiva. Intègraliter verò & intrinsecè realiter præmissas & conclusionem includit, quod in ipsa definitione per ly *quibusdam positis*, præmissæ; aliud quiddam &c. necessariò accidit, conclusio designatur. Est ergo discursus non simplex qualitas, sed ex diversis judiciis composita, quorum

rum unum causatur ab alio directivè, non verò Physicè; & conclusio inferri potest etiam pereuntibus præmissis; nec datur act⁹ ad actum, sine processu in infinitum, aut aliquis Physicus influxus, cùm diverso tempore possit existere. Dixi directivè quia præmissæ tanquam ratio assentiendi, ut *quo*, seu ut motivum proponens, necessariam medii cum extremis connexionem, illuminant, & movent intellectum ad inferendam conclusionem non secùs, ac principia Syllogismorum directiva ad efformandos Syllogismos, aut actus logici, quos directivè concurrere diximus ad alias scientias, eorumque actus. Denique sicut intellectus directivé influit in actûs voluntatis, ita præmissæ ad actum conclusionis, hac solùm differentiâ, quòd voluntas propositâ objecti bonitate possit amorem liberè emittere, intellectus verò proposita clarè in præmissis medii cum extremis connexione, ad conclusionem necessitetur; Ex eo quod illa sit potentia libera, hæc verò

necessaria, illa *positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere*, hæc his *positis* scilicet *præmissis evidenter cognitis assentiri, aut dissentiri* debeat. Hæc inferrendi conclusionem necessitas est duplex; una quoad exercitium, quando habitis præmissis habetur omnis, supposito ordinario Dei concursu, ad inferendam conclusionem requisita conditio. Altera quoad specificationem, quia præmissarum species non concurrunt nisi ad ejusmodi conclusionem; alias intellectus simul, & semel duobus assentiretur contradictoriis, ut contingeret in hoc Syllogismo: *omnis homo est animal. Petrus est homo, ergo Petrus est animal* si inferendo asseras. Ergo Petrus non est animal. Contradictorio necesse majoris assentiaris, quod omnis homo sit animal. Et in hoc parem habet rationem cum voluntate quæ non potest odisse bonum quà tale, nec amare malum quà malum. Præmissæ indivisibili concursu concurrunt ad conclusionem quatenus identificata sunt

extre-

extrema cum medio termino. Hinc ex præmissis veris non nisi verum, ex falsis non nisi falsum sequitur. Deinde una præmissarum si est certa, altera probabilis, aut negativa, conclusio non erit nisi negativa aut probabilis: juxta illud: Conclusio sequitur debiliorem partem.

CONCL. XXVII.

De Syllogismo demonstrativo.

DEmonstrativus sive scientificus Syllogismus est duplex; à priori cùm effectus, à causa; vel à posteriori, cùm causa ab effectu demonstratur. Utraque quia constat præmissis veris, certis, & evidentibus, per illud distinguitur à fallaci, & Sophistico, per istud à

Topico, ſeu probabili, per hoc à Syllogiſmo Theologico, cujus una præmiſſarum de fide eſt, adeoque obſcuritatem requirit. Evidentia ſupra certitudinem, addit claritatem, quæ oritur ex præmiſſis evidenter cognitis, ipſa autem præmiſſarum evidentia, ex ipſo præmiſſarum objecto, vel quatenus intellectui repræſentatur, vel per ſpeciem clarè, & immediatè ſui repræſentativam, quæ intuitiva dicitur; vel exprimentalis, quæ à ſenſibus habetur, quarum neutram neceſſariò Scientia exigit: Vel oritur ex ipſo lumine intellectûs perfectè ad objectum attendentis, aut perfectè ſpeciebus intelligibilibus, licet mediatè utentis, quæ evidentia abſtractiva dicitur, & eſt neceſſario requiſita ad Scientiam, quâ ſcilicet intellectus clarè cognoſcit, duo eſſe inter ſe connexa, eo quod cognoverit fuiſſe connexa neceſſariò, cum uno tertio, in præmiſſis.

CON-

CONCL. XXVIII.

De Scientia Actuali & Habituali.

NOn repugnat eundem intellectum ferri in objectum, duplici actu, altero ſcientiæ, altero opinionis. Imò probabiliûs eſt poſſe in unum actum coaleſcere formalitatem utriusq; actûs; modo abſit formido actualis, quæ eſt actus ab opinione diſtinctus realiter; actus nimirum reflexus; quo quis judicat priori actui opinativo (qui eſt aſſenſus directus propter motivum probabile) ſubeſſe falſum quantum ex vi talis motivi; qui proinde clarè cum actu ſcientiæ eſſe nequit; Secus verò formido radicalis, quæ ſola eſt de eſſentia opinionis: non autem formido actualis, quæ objecti neceſſitatem quam ſcientia adſtruit, deſtruit: Scientia habitualis eſt facultas quædam producta per actus ſcientificos,

cos, inclinans, & facilitans Intellectum ad ſimiles actus: quæ, ſicut & alij habitus intellectuales, à ſpeciebus impreſſis, coordinatis, non diſtinguitur. Augentur autem habitus per actus etiam remiſſiores, quàm fuerint præcedentes: Non acquiruntur, niſi per frequentatos actus; aliquando tamen etiam per unum actum valdè intenſum, & æquivalentem pluribus actibus. Sine ullo contrario per ſolam ceſſationem diuturnam, ab actibus corrumpuntur. Scientia habitualis, quam totalem vocant, non eſt ſimplex quædam qualitas; Sed conflata ex diverſis habitibus, non ſolum numero ſed etiam ſpecie diſtinctis: ut Logica ex habitibus affirmativis, negativis, opinativis, &c. Quorum unitas deſummitur ab unitate objecti formalis unius cujuſque habitûs.

CON-

CONCL. XXIX.

De Syllogismo Sophistico.

SOphisticus non est Syllogismus, sed esse videtur. Multæ in eo committuntur Fallaciæ. Prima est *Æquivocationis*, hæreticis notissima: ut Christus *est* ostium, Christus *est* Petra ly *Est* sumitur pro significat: ergo quando dicit: *Hoc est corpus meum* ly Est Sumitur pro significat.

Secunda est Compositionis & Divisionis, quando quæ non sunt vera nisi divisa, accipiuntur conjuncta, & quæ non sunt vera nisi conjuncta accipiuntur divisa. Hac fallacia utuntur Sophistæ (Prædicantes) quando quæritur ab ipsis: an possint errare in deducenda ex scripturis consequentia? & respondent se non posse errare sequentes sensum Scripturæ: q. d. se non posse sedentes, dum

sedent

ſedent ambulare: & Committitur etiam hæc ſallacia arguendo à ſenſu diſtributivo ad collectivum, vel à pluribus particularibus indeterminatis quoad ſe, ad universale: v.g. Nec hic equus, nec ille &c. requiritur ad equitandum. Ergo nullus equus requiritur ad equitandum. Deus non eſt colendus hoc determinato tempore, neque hoc, neque illo, ergo nunquam. Hæc illa, iſta particularis Eccleſia poteſt errare, ergo omnes poſſunt errare.

Tertia fallacia eſt figuræ dictionis, quando res ſignificatæ per ſimiles voces eodem ſumuntur modo: Sic aliquando ſub Signo *Quicquid* ſignificante æque *Subſtantiam* ac accidens, ſubſumitur *qualitas*: Quicquid heri emiſti comediſti, ſed emiſti carnes crudas, ergo carnes crudas comediſti. Sic argumentantur Hæretici: Quod accepit Chriſtus in cæna hoc dedit, ſed accepit panem, ergo illum dedit, cujus Sophiſmatis major eſt falſa, ſi nulla intelligatur mutatio in-

tus

ter acceptionem & dationem. Eadem committitur fallacia, quando trahitur dictio de significato particulari ad universale, aut è contrà: ut in hoc Sophismate: *Quod ego sum tu non es eo, ego sum homo, ergo tu non es homo*: & in isto *Animal est genus, Homo est animal, ergo homo est genus.*

Quarta est Accidentis, quando infertur aliquid convenire subjecto ex eo, quòd conveniat ejus accedenti, vel è contra, non convenire subjecto ex eo quòd non conveniat ejus accidenti & vice versa. Nomine autem accidentis hoc loco intelligitur omne prædicatum sive essentiale sive accidentale, ut si dicas: Omne album est aliquid accidentale, Petrus est albus ergo Petrus est aliquid accidentale: item Qui dicit te Animal verum dicit, at qui te asinum esse dicit, dicit te esse animal, ergo qui te asinum esse dicit verum dicit. Hac fallacia usus est Calvinus cum Antichristi attributa per summam impudentiam ad Roma-

num

num Pontificem transfert Inst. 4. 7. 25. Perinde ac si quis diceret: Animal est quadrupes, ergo Calvinus est quadrupes, aut iste canis est Pater, iste canis est tuus ergo iste canis est Pater tuus. Hoc non traditur in Scriptura, ergo non est verbum DEI. Pater major me est, ergo Christus non est DEUS, in quibus omnibus subjectum & accidens seu prædicatum non sumuntur prout sunt idem, sed prout sunt diversa, seu secundum diversa significata, scilicet mediatum & immediatum, & variatur suppositio de simplici in personalem aut è contra, &c.

Quinta est fallacia consequentis: quando sicut à positione antecedentis ad positionem consequentis, & à destructione consequentis ad destructionem antecedentis: ita à positione consequentis ad positionem antecedentis, aut à destructione antecedentis ad destructioné consequentis argumentantur Sophistæ quod nisi in terminis convertibilibus non valet, ut si anima hominis genita est

(edu-

(educta ſcilicet ex materia) incepit eſſe, ergo ſi non eſt genita non incepit eſſe: ſi Tu es aſinus es animal, ſed es animal, ergo: ubi ex conſequente male infertur antecedens. Simile Sophiſma eſt: Si omne illud eſt prohibendum quod prohibet Scriptura, quod Scriptura non prohibet non eſt prohibendum; Sed Scriptura non prohibet Sacerdotibus Matrimonium.

Sexta fallacia eſt: A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, quando ex propoſitione, quæ tantum vera eſt certo reſpectu, deducitur concluſio abſoluta & illimitata; ut Æthyops eſt albus ſecundùm dentes, ergo Æthyops eſt albus. Eccleſia Catholica prohibet matrimonium Sacerdotibus, ergo prohibet matrimonium contra Apoſtolum 1. Tim. 4. Magiſtratus Caſſovienſis prohibet matrimonium inter conſangvineos & eos qui ætatem non habent ergo Magiſtratus Caſſovienſis contravenit dicto Apoſtoli. Eccleſia Catholica jubet certo tempore

abſti-

abſtinere à certis cibis: ergo contravenit dicto Apoſtoli. Non juſtificatur homo ex operibus legis Gal. 6. 16. ergo non juſtificatur homo ex operibus: non juſtificatur homo per fidem mortuam, ergo non juſtificatur per fidem.

Septima fallacia eſt, & quidem hæreticis ſatis familiaris, quæ vocatur *Petitio principii*, cum illud ipſum, quod eſt in quæſtione, datur pro ratione, aut etiam tanquam conceſſum & notum aſſumitur, quod in controverſia eſt: ut Verbum Dei non eſt novum, Doctrina Calvini eſt Verbum Dei, ergo Doctrina Calvini non eſt nova.

Octava eſt Ignoratio Elenchi; ſeu contradictionis, quando infertur aliquid tanquam contradictorium quæſtioni propoſitæ, quod non eſt contradictorium: adeoq; probatur id quod non eſt in quæſtione. Sic hæretici ex eo, quod Chriſtus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*; inferunt: ergo Sacramentum Euchariſtiæ eſt figura paſſionis

Chriſti:

Christi: quod ultro conceditur, nec est contradictorium ei de quo est quæstio: An scilicet Christus sit realiter præsens, in Eucharistia? Patet autem hæc fallacia apud hæreticos latissimè, qui sæpè statum quæstionis dissimulant, aut malitiosè invertunt, & congestis scripturarum acervis id impugnant, quod Catholici non docent, sed affingunt illis, ut falsas de Catholicorum doctrina opiniones ingenerent. Imò si hæreticorum argumenta consideres, omnia committunt ignorantiam Elenchi: v. g. quæstio est: An Scriptura dicat: in confessione non esse enumeranda peccata? probant illi; Scriptura dicit: Delicta quis intelligit? ergo in confessione non sunt enumeranda peccata: quæ consequentia non est Scriptûræ, quod erat probandum. Et sic de aliis.

Nona fallacia *Non causa ut causa*; quæ fit quando aliquis effectus tribuitur alicui tanquam causæ ipsius, cùm tamen re ipsa non sit ejus causa. ut *Deus* indurat

cor

cor Pharaonis &c. ergo Deus eſt author peccati. Ebrietas eſt mala, ergo vinum eſt malum &c.

Decima fallacia *plurium interrogationum ut unius*: quod tripliciter fit: 1. Cùm unum de pluribus quæritur, ut an luxuria & caſtitas ſint bona? 2. Cùm plura quæruntur de uno: ut *An Miſſa ſit verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro vivis, & defunctis?* 3. Cùm plura quæruntur de pluribus; ut *An DEus & Sancti ſint colendi cultu, latria, & dulia?* quibus interrogationibus ſi ſimplicem reſponſionem reddas, tam negando, quam affirmando capi poſſis; proinde ſingulis in particulari diſtinctè ſatisfaciendum.

CONCL. XXX.

De Bona & mala conſequentia.

Conſequentia non eſt oratio, ſed orationem unam ex alia deducendi ratio.

ratio. Quicquid ſtat cum antecedente, ſtat cum conſequente, non è contrà. Quod repugnat conſequenti repugnat antecedenti; non è contrà, unde ex contradictorio conſequentis infertur contradictorium antecedentis: Ex quocunque ſequitur antecedens, ex eodem ſequitur conſequens, & quicquid ſequitur ex conſequente, ſequitur etiam ex antecedente; Hinc ex Converſa convertens, ex ſubalternante ſubalternata, & in Syllogiſmo, ex concluſione, & convertente alterius propoſitionis, deducitur altera propoſitio: ex contradictorio concluſionis cum altera propoſitionum, colligitur contradictorium propoſitionis alterius: ex duabus contrariis, aut contradictoriis, concluditur in Cameſtres, & Baroco, propoſitio, in qua idem de ſe ipſo negetur; ut *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit: ergo aliquis homo non eſt homo.*

A' ſubjecto non ſupponente, cùm ſupponitur quidem aliquid reale, ſed non

existens pro tempore, quod denotatur per copulam affirmatam, in materia contingenti non valet: secus in materia necessaria vel impossibili. Consequentia ex suppositione impossibili, bona est, si ex antecedēti non sequatur utraque contradictionis pars formaliter, immediatè: ut *si per impossibile DEus* (sine quo homo esse non potest) *non esset, essent tamen corpus & anima unita, adhuc esset homo*: sin verò per impossibile, homo haberet corpus sine anima, esset homo, & non esset: esset, ut supponitur; non esset, quia dum homo ponitur sine anima, ponitur formaliter anima, & ejus negatio, consequenter in antecedenti ponitur immediatum principium utriusque partis contradictionis: ac si dicas, si homo esset non homo: adeoque non servatur constantia subjecti, quæ tunc servatur, cùm relinquitur subjectum secundùm omnia illius constitutiva, & præterea additur illi vel demitur, quod quidem à parte rei implicat addi illi, vel demi,

...emi, non tamen est de illius formali conceptu. Unde in suppositione impossibili nihil sequitur, cujus principium non ponitur in antecedenti, & in hoc sensu, ex impossibili non sequitur quidlibet. Sic mala est hæc consequentia: homo est lapis, ergo currit, ergo est Angelus. Ab universali affirmativo & negativo valet consequentia ad singula: à particulari indefinita ad singula disjunctivè vel disjunctim, ut supponit terminus particularis. Ab affirmatione unius contrarij vel disparati ad negationem alterius: non autem à negatione unius contrarij vel disparati, ad affirmationem alterius, nisi in oppositis immediatè: à propositione affirmativa, de tertio adjacente, in materia contingenti, valet consequentia, ad propositionem de secundo adjacente: nisi prædicatum tollat esse subjecti: ut *domus est combusta, ergo est*: vel terminus sit ampliativus, aut extrinsecæ denominationis, ut rosa est cognita, ergo est. A propositione de secundo

adjacente, ad propositionem de tertio negativè, bona est consequentia; *Petrus non est, ergo non est albus*. Non debent autem variari termini secundùm ampliationem. A negativa verò de eodem, in eadem materia, valet ad disjunctivam de partibus negativis, quarum prima sit de secundo adjacente, altera de tertio; ut *Antichristus non est crudelis ergo vel Antichristus non est vel non est crudelis*. A propositione de prædicato complexo, ad prædicatum incomplexũ valet, si non mutetur significatum formale terminorum, seu appellatio. Unde non valet *Petrus est bonus Philosophus, ergò est bonus*. A negante ad infinitantem non valet universaliter; valet si vel subjectum supponitur existere, vel propositio sit in materia necessaria. Ab infinitante ad negantem valet; Adverte, ut prædicatum verè infinitetur; unde non valet: Petrus potest non salvari ergo Petrus non potest salvari, valet autem: Petrus est non potens salvari, ergo Petrus non potest salvari.

salvari. Similiter non valet: In mari sunt non pisce, ergo in mari non sunt pisces. Prædicatum infinitum sumatur negativè non privativè; unde non valet: *equus non est justus, ergo est non justus* i. injustus. Termini finitus & infinitus verificentur respectu ejusdem; unde non valet: DEUS est non generans, ergo non est generans: Propositio sit de præsenti: unde non valet: *Petrus fuit non albus, ergo Petrus non fuit albus.* Ab affirmativa de prædicato finito, ad negationem de prædicato infinito: ut homo est animal, ergo homo non est non animal; valet: non è contrà à negativa infinita ad affirmativam finitam; nec in terminis obliquis, aut de futuro, vel præterito. A termino privativo ad infinitum valet: est injustus, ergo non est justus: non è contrà ab infinito ad privativum. A privativo, vel infinito, ad negationem de finito valet; Petrus est cæcus, ergo non est videns: secus à negativa ad privativum: non videt, ergo est cæcus.

A diviſo ad conjunctum, & è contra, valet ſi termini non dependeant unus ab alio: ut *Antonius eſt Muſicus Philoſophus ergo eſt muſicus, & eſt Philoſophus*: item ſi tempus non mutetur: unde non valet: *Cicero fuit puer, & fuit ſapiens, ergo fuit puer ſapiens*: vel ſi terminus non ſit alienans, ut *Petrus eſt homo mortuus, ergo eſt homo, & eſt mortuus*: nec ampliativus, ut *Antichriſtus* eſt homo generandus, ergo eſt homo, & generandus: nec æquivocus, ut *Iſte canis eſt, Pater, tuus, ergo eſt pater & tuus*: ubi ly Pater, in antecedenti eſt vocativus, in conſequente nominativus. A conjuncto ad diviſum, non valet in diminutivis: ut Æthyops eſt albus ſecundùm dentes, ergo Æthyops eſt albus. In reſtrictivis valet à conjuncto ad diviſum: à diviſo ad conjunctum, non niſi quando utrumque eſt eſſentiale, non accidentale: hinc non ſequitur. *Petrus eſt logicus & eſt albus, ergo eſt logicus albus*: bene autem ſequitur:

homo

Homo est animal & visibile ergo est *animal visibile.* A termino non restricto ad restrictum bona est consequentia affirmativè, ut omnis homo moritur, ergo omnis homo sapiens moritur: non tamen è contra valet à termino restricto ad non restrictum, ut homo fortis pugnat, ergo omnis homo pugnat. Negativè tamen valet: *homo fortis non disputat, ergo non omnis homo disputat*: non valet à non restricto ad restrictum: non omnis homo pugnat, ergo homo fortis non pugnat. In alienativis valet à conjuncta ad alienantem, non ad alienatum: ut *Petrus est homo mortuus, ergo Petrus est mortuus*, non ergo *Petrus est homo & est mortuus.* Ab Exclusiva ad universalem, transpositis terminis, est bona consequentia; ut tantùm homo est rationalis, ergo omne rationale est homo; & sic de alijs, in quibus præjacens exclusivæ & universalis dicta sunt convertibiles: unde non valet: Sola necessaria sunt necessariò vera,

ergo omnia vera sunt necessariò necessaria: nec valet quando exclusiva particula cadit supra prædicatum: ut prædicabilia sunt tantùm quinque, ergo omnia prædicabilia sunt quinque: item Petrus est tantum animal, ergo omne animal est Petrus. A propositione exceptiva negativa ad exclusivam valet: *nullum animal præter hominem est risibile, ergo tantum homo est animal risibile.* Item ab exclusiva affirmativa de prædicato finito, ad universalem negativam de prædicato infinito: ut solus Petrus currit, ergo nullus non Petrus, vel nullus cum Petro currit: item à negativa exclusiva ad disjunctivam; ut non tantùm Petrus est doctus ergo vel Petrus non est doctus, vel præter Petrum etiam alius est doctus. Syllogismus exclusivus in 1. fig. habens notam exclusivam in sola majore junctam medio termino, & principalem copulam affirmativam, debet concludere negative: ut *tantùm homo est logicus, Angelus non est homo, ergo Angelus non est logicus*;

æquivalet huic: *Nulla substantia distincta ab homine est logicus. Omnis Angelus &c.* Si principalis copula fuerit negativa, conclusio sequetur affirmativa: ut *tantùm stupidi non æstimant Dialecticam, Petrus non est stupidus, ergo æstimat.* Si exclusio addatur majori extremo, in 1. fig. sequetur talis conclusio in qualitate, qualis est principalis copula Majoris: ut *Stupidi audiunt tantum dialecticam, Petrus est stupidus, ergo audit tantum dialecticam.* Exclusiva nunquam ponenda in conclusione ante copulam, nisi in ambabus præcesserit præmissis; unde non sequitur: *Nullum risibile est lapis, tantum homo est risibilis, ergo tantum homo est lapis.* In 2. fig. possunt fieri Syllogismi exclusivi affirmativi: ut *tantum homo est rationalis, omne risibile est rationale, ergo omne &c.*

A Reduplicativa ad universalem valet consequentia: ut *Homo quatenus animal sentit, omne animal sentit*: intellige si particula reduplicet rationem formalem, non conditionem vel rationem sub qua

ut approximationem, applicationem, &c. Si medius terminus afficiatur notâ Reduplicativâ, debet etiam ſecundò cum eadem poni: unde non ſequitur: *Omne Animal in quantum Muſicum, cantat. Aſinus eſt animal, ergo aſinus cantat.*

In conditionali affirmativa, poſito antecedente, valet affirmatio ad conſequẽs; ut *ſi eſt homo eſt rationalis*, ſed *eſt homo* ergo; in eadem affirmativa valet à negatione conſequentis, ad negationem antecedentis; *ſed non eſt rationalis*, ergo *non eſt homo*.

In disjunctiva conſtante duabus partibus affirmativis, à negatione unius valet ad affirmationem alterius: non autem ab affirmatione unius ad negationem alterius: unde non valet: *Vel Petrus vel Paulus ſtudet, ſed Paulus ſtudet, ergo Petrus non ſtudet.* Si disjunctiva conſtet duabus partibus negativis, ab affirmatione unius, valet ad negationem alterius: Si una pars disjunctivæ ſit affirmativa, altera verò virtualiter illi contradi-

tradictoria, ab affirmatione unius, ad negationem alterius, & è contra bona est consequentia: vel Petrus est justus, vel est peccator, sed est justus ergo non est peccator: si sint partes formaliter contradictoriæ, nugatoria erit consequentia: v.g. *Vel es doctus, vel non es doctus, sed es doctus, ergo non es doctus.*

A propositione copulativa affirmativa valet consequentia ad quamlibet ejus partem: ab una parte disjunctivæ, ad totam disjunctivam; ut *homo loquitur, ergo homo vel loquitur, vel audit* A causali ad Copulativam bona est, non è contrà: ut *omnis homo peccat, quia est liberi arbitrij, ergo omnis homo peccat, & omnis homo est liberi arbitrij*: Nota debere in antecedenti poni veram & adæquatum causam.

A definitione ad definitum bona est, & è contra: item à negatione unius partis definitionis ad negationem definiti, non è contra; nisi differentia adæquata negetur, ut *non est homo, ergo non est rationale.* A definitione ad definitum cum eo-

dem addito, & à definitione ad proprietatem bona est.

Ab uno conjugatorum ad reliqua tam affirmative, quàm negativè valet. Hinc tamen sæpius construuntur Sophismata: 1. assumendo esse talia conjugata, quæ talia non sunt: ut si quis ex vocabulo officij probaret aliquem officere, officiosum: 2. si aliqua vox æquivoca usurpetur, tanquam conjugata cum altera, juxta illud significatum in quo cum ea non est conjugata; ut cum homo sis humana curare debes; ubi ly humana non pro rebus ad hominem pertinentibus (in qua significatione est conjugatum hominis) sed pro rebus caducis &c. accipitur. 3. si attributa conjugatorum non bene assignentur; ut *justus est fortis*, ergo *justitia est fortitudo*: cùm dici deberet; ergo *in aliquo simul est justitia & fortitudo*.

A partibus simul sumptis, & unitis, ad totum actuale; & à toto ad partes valet, tam negativè, quàm affirmativè; cui conveniit aliquod membrum dividens

com-

convenit illi totum potentiale v. g. convenit Petro esse hominem, ergo etiam esse animal; cui convenit ratio totius, convenit illi aliquod ex membris dividentibus, vel disjunctivè, si totum fuerit potentiale, v. g. Petrus est animal, ergo vel homo, vel leo &c. vel distributivè: ut lapis non est animal, ergo nec leo,&c. Item est unũ ex membris dividentibus; ergo non est alterum v. g. est animal rationale ergo nõ irrationale, est homo, ergo non est leo: Rejectis omnibus partibus, una aliqua affirmatur: *Aut amat, aut odit, nihil est tertium; Sed non amat, ergo odit.* An ab uno ad omnia; à parte ad totum aliquando valeat consequentia! Unus, ergo omnes: semel ergo semper. Hîc, ergo ubique. An *quod semel placuit, semper placere debet? Semel malus semper præsumitur malus? In uno delinquens factus est omnium reus? Aliquando fecit, ergo & nunc.*

Valet argumentatio: Ab esse effectus ad fuisse causæ efficientis & ab absentia

effectus per se, & primarij ad absentiam causæ: non autem ab absentia effectus per accidens, ab absentiam causæ; vera est hæc propositio; *Ubicunq; abest per accidens effectus per se, ibi per accidens abest causa.* Falsa hæc: *ubicunq; abest per accidens effectus per accidens, ibi per accidens abest causa.*

Unde non sequitur: Nemo habet oculos, & scit legere, quin *possit* legere: sed Petrus, quando habet oculos clausos, non *potest* legere: ergo quando habet oculos clausos, nescit legere: in Majori *posse* accipitur de potentia intrinseca; in Minori, de extrinseca, hoc est, potentiâ intrinseca liberâ ab omni impedimento extrinseco. Ab esse effectus ad fuisse causæ efficientis est bona: v. g. Domus est, ergo Artifex fuit, à potentia similiter, quæ potest majus, ad minus: manendo nempe in eodem genere, & si adsint alia instrumenta subordinata. (hinc potentia nutritiva potest producere partem viventis, non tamen ignem, aut aurum &)

prætem-

præterea, si in alio non involvatur imperfectio: sic Angelus non potest intelligere per phantasma, nec homo volare, quod est minus quàm discurrere: tertiò, excipitur potentia passiva; Sic non omne, quod patitur aliquid à majori, pati potest à minori. Ab inesse ad denominari universaliter non valet; requiritur, ut quod inest, simpliciter insit, non in minori parte, si in majori esse possit; ut intensiùs insit, quàm contrarium, alioqui à potiori denominabitur; ut non insit brevissimo tempore, & per transennam; ut non quomodocunque denominet, sed apto, unde materia in qua est generatio non denominatur generabilis, nec generans, &c. Si hoc est tale propter illud, ergo illud est magis tale: ad quod requiritur ut utrumque, inter quæ fit comparatio sit tale, seu illam denominationem formaliter recipere possit: item ut unum sit tale, quia aliud est tale, ita ut unum esse tale, sit causa & ratio cur alterum sit tale; hinc ea quæ ita inter se com-

ſe comparentur debent ſuſcipere magis & minus, adeoque eſſe qualitates. Unde non ſequitur: *Homo eſt ebrius propter vinum ergo vinum magis eſt ebrium: Fur ſuſpenditur propter furtum, ergo furtum magis ſuſpenditur.*

A potentia logica ad actum valet in neceſſarijs conſequentia, in quibus idem eſt eſſe ac poſſe. Quicquid non repugnat ut ſit in DEO eſt neceſſariò in DEO: quem proinde exiſtere, vel hoc ipſo, quòd non implicet bene ſequitur: in contingentibus non valet:

A ſimili ad ſimile valet argumentum, ſi materia non ſit contingens, & libera, præſertim odioſa. A pari, ut ſit efficax, requiritur ut paritas à ratione formali adæquata, aut proprietate, non ab accidenti communi deſumatur: unde non valet: *Petrus eſt homo, ergo & Cygnus, quia uterq; eſt albus.* Comparativum ſupponit in utroque extremo poſitivum. Unde qui dicit alteram ſententiam eſſe probabiliorem, ergo altera eſt probabilis. Ue-

simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximùm ad maximùm: [intellige de prædicatis per se,] Unde non valet: Major vini usus est pejor, & maximus pessimus; ergo Vini usus est malus. Valet: Facere furtum est malùm. Ergo majus pejus, maximum pessimum. Si hoc genus est melius illo, id quod est optimum in hoc genere est præstantiùs eo, quod est optimum in illo, ut: *Si homo est melior equo, dignissimus Homo generosissimo equo est præstantior*: Et è contrà: si id quod est in hoc genere optimum, præstantius est quàm optimum alterius generis, hoc genus præstantius est illo. A proportione valet consequentia. v. g. sicut se habet 8. ad 4. ita 6. ad 3. sed ibi est proportio dupla; Ergo & hic. A commutata proportione: sicut 8. ad 4. ita 6. ad 3. ergo, (permutandò ac comparandò Primum ad tertium, & secundum ad quartum,) ut 8. ad 6. ita 4. ad 3. sed 8. ad 6. est proportio sesquitertia (quia 8. continet 6. & 3. partē nempe 2.) ergo 4. ad 3. erit propor-

tio

tio sesquitertia, quia 4. continet 3. & tertiam partem trium, nempe unitatem. Modus hic valet solùm in terminis convertibilibus: Nunquam autem valet, ubi unus terminus est superior, alter inferior; in quibus commutata proportio ita debet fieri, ut comparetur non primum ad tertium, & secundum ad quartum: sed primum ad tertium, & quartum ad secundum; quartum ponendò tertio loco, & secundum in quarto: v.g. sicut se habet Homo ad non hominem, ita animal ad non animal. ergo permutatim, sicut se habet homo ad animal, sic non animal ad non homo. E contra, sicut se habet ens & non ens, ita possibilè & impossibilè. Ergo permutatim, sicut ens ad possibilè, ita non ens ad impossibilè non valet: sed sicut se habet ens & non ens, ita possibilè, & impossibilè. ergo permutatim: sicut ens ad possibilè; ita impossibilè ad non ens. Argumentum à contradictorio etiam valet: ut *negas ens rationis, ergo admittis: negas dari Animam, ergo concedis: nega*

vero

[ve]ritatem, ergò, si verùm dic[e]re admittis veri[t]atem. Nihil est credendum, quod non sit in [s]criptura, ergo nihil est credendum, quod sit in scriptura Ex una æquipollente ad aliam, est bona consequentia; & sic ex una contradictoria facta, alteri æquipollente erit ad illã, bona consequẽtia. Demùm ab absurdò, seu incõvenientia, processuin infinitum valet cõsequẽtia: non valet à sensu diviso ad compositũ: Compositus est, cùm accipitur subjectũ ut connexûm cum forma, seu reduplicativè; divisus est, cùm accipitur subjectum præscindendò à tali forma, seu specificativè: Sensus compositus est duplex, alter antecedens, ex quo oritur necessitas antecedens, seu consequentis, vel secundùm causam: sic *ex eo quòd sol est dies est*: Alter consequens, ex quo oritur necessitas consequens, vel consequentiæ, seu secundùm effectum: Sic *ex suppositione. quòd videam Petrum sedentem necessariò sedet.*

Per ascensum & descensum valet consequentia, si fiant juxta exigentiam suppositionis

positionis; sub termino supponente simpliciter non licet ascendere, neq; descendere: v.g. non valet: *Homo est species, ergo Petrus est species.* Ab ascensu copulativo, seu distributivo non valet cōsequentia ad terminum supponentē collectivè, seu copulatim; ut: possum vivere sine hoc, sine illo cibo, ergo sine omnibus: hæc penna non est necessaria determinatè ad scribēdùm, nec illa, nec ulla alia determinatè. Ergo nulla est necessaria ad scribendùm, ergo posset scribi sine omni penna. Quòdsi in ascensu copulativo involvatur ascensus copulatus, seu collectivus valebit consequentia v. g. possum esse sine hoc cibo & insuper sine omni alio, ergo possum esse sine omni cibo. Ab ascensu copulativo ad terminum supponentem distributivè: item ab ascensu copulato, ad terminum supponentem copulatim seu collective pro omnibus simul; ab ascensu etiam disjunctivo ad terminū supponentem determinate; demùm ab ascensu disjunctivo ad terminum confusè sup-

sè sup-

è supponentem est formalis consequentia: Sicut etiam ab ascensu distributivo seu copulativo ad terminum supponentem copulatim, quando ascensus continet adæquatam enumerationem partiũ, & collectio ipsum Totum. Sæpè tamen ascensus videtur copulativus, cùm sit simpliciter disjunctus, & terminus supponere confusè, cùm supponat distributivè, v. g. possum vitare hoc peccatum veniale, hoc, & hoc, ergo omnia; si ascensus sit copulativus est bona consequentia, & verum consequens, scilicet, ergo possum evitare omnia distributivè, determinatè accipiendo singula: absolutè autem loquendo, est ascensus disjunctus, scilicet possum vitare vel hoc, vel hoc &c. qui non includit ascensum copulatum, & sic non bene infertur terminus supponens copulatim, seu collectivè. Idem dic de alijs v. g. *hic homo est unus, hic est unus, &c. ergo omnes sunt unum*, scilicet distributivè. Ex utraque propositione de necessariò, sequitur in omnibus figuris conclusio de necess-

necessariò. Ex majore de necessariò & minore absoluta, in prima figura, sequitur conclusio de necessariò, non autem ex majore absoluta & minore de necessariò.

In Syllogismo Expositorio medium ita debet esse singulare, ut etiam sit incommunicabile, id est, ut non sit in pluribus rebus; quale medium non est Deus, nec Deitas seu essentia divina, nec ullum tribus personis commune attributum. Unde non valet iste Syllogysmus. *Deus est Pater, Deus est Filius, ergo Filius est Pater.* Sicut nec hic; Homo est Petrus, Homo est Paulus, ergo Paulus est Petrus. Similiter non valet iste Syllogismus. Pater non est Filius, Pater est Deus, ergo Deus non est Filius.

Probatio syllogismorum, imperfectorum per expositionem fit, si medium commune in syllogismo imperfecto positum, adjectione pronominis demonstrativi facias singulare; v. g. hunc Syllogismum in *Darapti*: Omne animal est sensus capax, omne animal est corpus, ergo quod-

dam

dam corpus est sensûs capax; sic exponesa Hoc animal est sensus capax, hoc animal est corpus, ergo quoddam corpus est sensûs capax. Necesse tamen est, ut subjectum particulari signo notatum sumatur disjunctivè, non disjunctim: Hinc subjectum majoris in hoc Syllogismo positum (aliquis oculus est necessarius ad videndum, omnis oculus est pars capitis, ergo aliqua pars capitis est necessaria ad videndum) non potest fieri singulare. Hæc de consequentijs.

CONCL. XXXI.

De Inventione medij.

Scire omnis homo desiderat, & rerum causas cognoscere. Scientia verò, seu veri in se speculatio non facilis, & ad eam non sine multis ingenij discursibus pervenitur. Eò tota tendit Dialectica,

ctica, in Rebus omnibus, ut quibusdam positis, aliud quidpiam ab ijs, quæ posita sunt, per *consequentias* deducat; & ex quacunque propositione ad centenas alias discurrat. Ad quod primùm, decem classes rerum, quæ prædicamenta dicuntur, & locorum dialecticorum seriem nosse, eademq; multâ meditatione, multo etiam majori lectione, quasi ante oculos habere necesse est: deinde, tum subjectum, tum prædicatum propositionis per singula considerando, ex singulis consequentias ducere; quarum tanta sæpe turba, vel celeriter per omnia discurrentem sequitur, ut non mediocris labor sit ab ea se expedire. Exemplum afferrem uni9, aut alterius propositionis, per omnia longè latèque deducendæ, nisi brevitas proposita avocaret. Sufficiant hæ pauculæ de pluribus ad propositum consequentiæ, e.g. *Omnis homo scire naturaliter desiderat.* Ergo omnis homo habet capacitatem ad scientias, omnis homo disciplinæ capax, &c.

Si de-

Si deſiderat *ſcire*, ergo amat verùm; ergo falſum eſt: veritas odium parit, &c.

Si *Natura* deſiderat, ego negat ſe habere naturam hominis qui ſcire non deſiderat, vel qui negat ſcientiam, aut dari veritatem.

Si *deſiderat ſcire*? ergo aliquo modo ſcit; ignoti nulla cupido: Ergo datur ſcientia: ne fruſtra detur appetitus ſciendi.

Si *ſcire* deſiderat? ergo perfectiùs ſciare, magis deſiderat, ergo magis ſcientias ſpeculativas, Mathematicas, Divinas, ergo plures darent operam ſpeculátivis, quàm practicis, &c. Ergo primam veritatem ſcire maximè deſiderat; ergo intuitivam ejus cognitionem præ cætéris, ergo dabilis eſt viſio Dei naturalis, &c.

Si *ſcire* deſiderat? ergo rem per cauſam cognoſcere, &c. ergo & rérum cauſas cognoſcere, &c. ergo, vel omne ſcire, vel ſaltem aliquod indeterminatè, ſi primum? ergo omne ſcibile, ergo omnem ſcientiam poteſt quivis homo aſſequi; vel ſi non poſſit, deſiderat, quòd ſcire non

potest, quod est plus, quàm impossibilè, nam hoc scire potest. Si secundum, ergo nullam determinatè; non Logicam, ergo ex illa propositione: Omnis homo naturaliter scire desiderat malè infertur, ergo omnis homo Logicam desiderat: Si Logicā nō desiderat, ergo desiderat scire sinè modo sciendi. Si desiderat etiā modū sciēdi? ergo maximè demōstrationē, quæ facit immediatē scire, ergò diligit sensus per quos acquiritur scire, ergo magis illos per quos faciliùs, citiùs, securiùs, ergo oculos, aures &c.

Si *desiderat*, ergo amat, ergo bonum scire, ergo intellectus fertur in bonum sub ratione boni, ergo non sub ratione intelligibilis veri, ergo appetit aliquid quod est extra objectū illi⁹ formale, ergo non appetit illud naturaliter, ergo non omnis homo naturaliter scire desiderat.

Si *naturaliter* desiderat scire, ergo nemo naturaliter potest desiderare illi oppositum, sicut qui appetit felicitatem, non appetit miseriam &c. Ergo nemo appe-

appetit ignorantiam: ergo non datur affectata ignorantia, ergo contra naturam agunt, qui nolunt intelligere ut bene agant, ergo à natura omnibus hominibus ingenitus est appetitus scientiæ boni & mali, ergo hæc assequibilis ab omnibus, ergo omnes essent scientes, vel frustra daretur potentia vel appetitus absq; actu, adeoque contra naturam, quæ nihil facit frustra. Si *naturaliter*, ergo nemo esset, qui sublatis impedimentis literarum studia non coleret; hac enim ratione dicimus appetitum lapidis ad descendendum esse naturalem, quia remotis ijs, quæ illum in aëre detinent, continuò descendit, ergo qui majore rerum necessariarum copia abundant, magis studerent. Si *naturaliter* appetit scire, ergo tanquam perfectionem propriam naturalem, ergo habet potentiam receptivam talis perfectionis, ergo & activam illi correspondentem, ergo homo est in intelligendo imperfectus. Si *desiderat*, ergo vel appetitu innato, sicut materia prima

mas, vel elicito: Si elicito ergo prævia aliqua cognitione, ergo vel appetitu libero vel necessario, vel mixto, seu partim libero, partim necessario; si libero vel quoad exercitium, vel quoad speciem, vel quoad utrumque &c. Si desiderat, ergo solum bonum absens scire desiderat, ergo præsentia scire naturaliter non potest: ergo scire est accidens, quod potest abesse &c. ergo separabile, ergo contingenter prædicabile, ergo non necessarium, ergo scientia non est necessaria cognitio, vel aliquid est necessarium & contingens respectu diverso.

Ergo ex appetitu sciendi bene probatur dari scibile: sicut ex appetitu videndi Deum probatur dari Deum, ejusque visionem intuitivam: ex appetitu materiæ probatur dari formam &c. Ergo Philosophia seu Amor sapientiæ est homini naturalis, ergo conformis naturæ rationali, ergo laudabilis, ergo nec labor in ea acquirenda reprehensibilis, imò desiderabilis: ergo desiderabiles molestiæ,

pueris

pueris virgæ &c. Denique si omnis homo naturaliter scire desiderat, ergo omnis homo naturaliter desiderat virtutem: habitum|cum *recta ratione* activum &c. Quæ omnia si secundum prædicamenta, & per consequentia, & antecedentia prædicati & subjecti, & ea quæ illis repugnant considerentur, quantum una propositio mare consequentiarum aperiret! Ex dictis, ut propositio universalis affirmativa probetur, assumendum est aliquid, quod idem sit antecedens prædicati, & consequens subjecti. Ut propositio particularis affirmativa confirmetur, quærendum est medium, quod idem sit antecedens prædicati & subjecti; aut consequens prædicati, & antecedens subjecti. Ut propositio universalis negativa probetur, assumendum est medium, quod idem sit consequens subjecti, & repugnās prædicati; aut contrà, consequens prædicati & repugnans subjecti. Ut propositio particularis negativa confirmetur, debet assumi aliquid, quod sit antecedens sub-

positionis; sub termino supponente simpliciter non licet ascendere, neq; descendere: v.g. non valet: *Homo est species, ergo Petrus est species.* Ab ascensu copulativo, seu distributivo non valet cōsequentia ad terminum supponentē collectivè, seu copulatim; ut: possum vivere sine hoc, sine illo cibo, ergo sine omnibus: hæc penna non est necessaria determinatè ad scribēdùm, nec illa, nec ulla alia determinatè. Ergo nulla est necessaria ad scribendùm, ergo posset scribi sine omni penna. Quòd si in ascensu copulativo involvatur ascensus copulatus, seu collectivus valebit consequentia v. g. possum esse sine hoc cibo & insuper sine omni alio, ergo possum esse sine omni cibo. Ab ascensu copulativo ad terminum supponentem distributivè: item ab ascensu copulato, ad terminum supponentem copulatim seu collective pro omnibus simul; ab ascensu etiam disjunctivo ad terminū supponentem determinatè; demùm ab ascensu disjunctivo ad terminum confusè sup-

sè supponentem est formalis consequentia: Sicut etiam ab ascensu distributivo seu copulativo ad terminum supponentem copulatim, quando ascensus continet adæquatam enumerationem partiũ, & collectio ipsum Totum. Sæpè tamen ascensus videtur copulativus, cùm sit simpliciter disjunctus, & terminus supponere confusè, cùm supponat distributivè, v.g. possum vitare hoc peccatum veniale, hoc, & hoc, ergo omnia; si ascensus sit copulativus est bona consequentia, & verum consequens, scilicet, ergo possum evitare omnia distributivè, determinatẽ accipiendo singula: absolutè autem loquendo, est ascensus disjunctus, scilicet possum vitare vel hoc, vel hoc &c. qui non includit ascensum copulatum, & sic non bene infertur terminus supponens copulatim, seu collectivè. Idem dic de alijs v.g. *hic homo est unus, hic est unus, &c. ergo omnes sunt unum*, scilicet distributivè. Ex utraque propositione de necessariò, sequitur in omnibus figuris conclusio de

neces-

necessariò. Ex majore de necessariò & minore absoluta, in prima figura, sequitur conclusio de necessariò, non autem ex majore absoluta & minore de necessariò.

In Syllogismo Expositorio medium ita debet esse singulare, ut etiam sit incommunicabile, id est, ut non sit in pluribus rebus; quale medium non est Deus, nec Deitas seu essentia divina, nec ullum tribus personis commune attributum. Unde non valet iste Syllogysmus. *Deus est Pater, Deus est Filius, ergo Filius est Pater.* Sicut nec hic; Homo est Petrus, Homo est Paulus, ergo Paulus est Petrus. Similiter non valet iste Syllogismus. Pater non est Filius, Pater est Deus, ergo Deus non est Filius.

Probatio syllogismorum, imperfectorum per expositionem fit, si medium commune in syllogismo imperfecto positum, adjectione pronominis demonstrativi facias singulare; v. g. hunc Syllogismum in *Darapti*: Omne animal est sensus capax, omne animal est corpus, ergo quoddam

dam corpus est sensûs capax; sic exponesa Hoc animal est sensus capax, hoc animal est corpus, ergo quoddam corpus est sensûs capax. Necesse tamen est, ut subjectum particulari signo notatum sumatur disjunctivè, non disjunctim; Hinc subjectum majoris in hoc Syllogismo positum (aliquis oculus est necessarius ad videndum, omnis oculus est pars capitis, ergo aliqua pars capitis est necessaria ad videndum) non potest fieri singulare. Hæc de consequentijs.

CONCL. XXXI.

De Inventione medij.

SCire omnis homo desiderat, & rerum causas cognoscere. Scientia verò, seu veri in se speculatio non facilis, & ad eam non sine multis ingenij discursibus pervenitur. Eò tota tendit Dialectica,

ctica, in Rebus omnibus, ut quibusdam positis, aliud quidpiam ab ijs, quæ posita sunt, per *consequentias* deducat; & ex quacunque propositione ad centenas alias discurrat. Ad quod primùm, decem classes rerum, quæ prædicamenta dicuntur, & locorum dialecticorum seriem nosse, eademq; multâ meditatione, multo etiam majori lectione, quasi ante oculos habere necesse est: deinde, tum subjectum, tum prædicatum propositionis per singula considerando, ex singulis consequentias ducere: quarum tanta sæpe turba, vel celeriter per omnia discurrentem sequitur, ut non mediocris labor sit ab ea se expedire. Exemplum afferrem unius, aut alterius propositionis, per omnia longè latèque deducendæ, nisi brevitas proposita avocaret. Sufficiant hæ pauculæ de pluribus ad propositum consequentiæ, e. g. *Omnis homo scire naturaliter desiderat.* Ergo omnis homo habet capacitatem ad scientias, omnis homo disciplinæ capax, &c.

Si de-

Si desiderat *scire*, ergo amat verùm; ergo falsum est: veritas odium parit, &c.

Si *Natura* desiderat, ego negat se habere naturam hominis qui scire non desiderat, vel qui negat scientiam, aut dari veritatem.

Si *desiderat scire*? ergo aliquo modo scit; ignoti nulla cupido: Ergo datur scientia: ne frustra detur appetitus sciendi.

Si *scire* desiderat? ergo perfectiùs scire, magis desiderat, ergo magis scientias speculativas, Mathematicas, Divinas, ergo plures darent operam speculátivis, quàm practicis, &c. Ergo primam veritatem scire maximè desiderat; ergo intuitivam ejus cognitionem præ cætéris, ergo dabilis est visio DEI naturalis, &c.

Si *scire* desiderat? ergo rem per causam cognoscere, &c. ergo & rérum causas cognoscere, &c. ergo, vel omne scire, vel saltem aliquod indeterminatè, si primum? ergo omne scibile, ergo omnem scientiam potest quivis homo assequi; vel si non possit, desiderat, quòd scire non

 potest

potest, quod est plus, quàm impossibile, nam hoc scire potest. Si secundum, ergo nullam determinatè; non Logicam, ergo ex illa propositione: Omnis homo naturaliter scire desiderat malè infertur, ergo omnis homo Logicam desiderat: Si Logicã nõ desiderat, ergo desiderat scire sinè modo sciendi. Si desiderat etiã modũ sciẽdi? ergo maximè demõstrationẽ, quæ facit immediatè scire, ergò diligit sensus per quos acquiritur scire, ergo magis illos per quos faciliùs, citiùs, securiùs, ergo oculos, aures &c.

Si *desiderat*, ergo amat, ergo bonum scire, ergo intellectus fertur in bonum sub ratione boni, ergo non sub ratione intelligibilis veri, ergo appetit aliquid quod est extra objectũ illi⁹ formale, ergo non appetit illud naturaliter, ergo non omnis homo naturaliter scire desiderat.

Si *naturaliter* desiderat scire, ergo nemo naturaliter potest desiderare illi oppositum, sicut qui appetit felicitatem, non appetit miseriam &c. Ergo nemo appe-

appetit ignorantiam: ergo non datur affectata ignorantia, ergo contra naturam agunt, qui nolunt intelligere ut bene agant, ergo à natura omnibus hominibus ingenitus est appetitus ſcientiæ boni & mali, ergo hæc aſſequibilis ab omnibus, ergo omnes eſſent ſcientes, vel fruſtra daretur potentia vel appetitus absq; actu, adeoque contra naturam, quæ nihil facit fruſtra. Si *naturaliter*, ergo nemo eſſet, qui ſublatis impedimentis literarum ſtudia non coleret; hac enim ratione dicimus appetitum lapidis ad deſcendendum eſſe naturalem, quia remotis ijs, quæ illum in aëre detinent, continuò deſcendit, ergo qui majore rerum neceſſariarum copia abundant, magis ſtuderent. Si *naturaliter* appetit ſcire, ergo tanquam perfectionem propriam naturalem, ergo habet potentiam receptivam talis perfectionis, ergo & activam illi correſpondentem, ergo homo eſt in intelligendo imperfectus. Si *deſiderat*, ergo vel appetitu innato, ſicut materia prima

mas, vel elicito: Si elicito ergo prævio aliqua cognitione, ergo vel appetitu libero vel necessario, vel mixto, seu partim libero, partim necessario; si libero vel quoad exercitium, vel quoad speciem, vel quoad utrumque &c. Si desiderat, ergo solum bonum absens scire desiderat, ergo præsentia scire naturaliter non potest: ergo scire est accidens, quod potest abesse &c. ergo separabile, ergo contingenter prædicabile, ergo non necessarium, ergo scientia non est necessaria cognitio, vel aliquid est necessarium & contingens respectu diverso.

Ergo ex appetitu sciendi bene probatur dari scibile: sicut ex appetitu videndi DEUM probatur dari DEUM, ejusque visionem intuitivam: ex appetitu materiæ probatur dari formam &c. Ergo Philosophia seu Amor sapientiæ est homini naturalis, ergo conformis naturæ rationali, ergo laudabilis, ergo nec labor in ea acquirenda reprehensibilis, imò desiderabilis: ergo desiderabiles molestiæ,

puerie

pueris virgæ &c. Denique si omnis homo naturaliter scire desiderat, ergo omnis homo naturaliter desiderat virtutem: habitum | cum *recta ratione* activum &c. Quæ omnia si secundum prædicamenta, per consequentia, & antecedentia prædicati & subjecti, & ea quæ illis repugnant considerentur, quantum una propositio mare consequentiarum aperiret! Ex dictis, ut propositio universalis affirmativa probetur, assumendum est aliquid, quod idem sit antecedens prædicati, & consequens subjecti. Ut propositio particularis affirmativa confirmetur, quærendum est medium, quod idem sit antecedens prædicati & subjecti; aut consequens prædicati, & antecedens subjecti. Ut propositio universalis negativa probetur, assumendum est medium, quod idem sit consequens subjecti, & repugnās prædicati; aut contrà, consequens prædicati & repugnans subjecti. Ut propositio particularis negativa confirmetur, debet assumi aliquid, quod sit antecedens sub-

jecti, & repugnans prædicati, juxta illos versus:

Fecana, Categi, Dafenes, Hebare,
Gedaco,
Gebali ſtant; ſed non ſtant Febas,
Hedas, & Hecas.

In quibus dictionibus, exceptis ultimis tribus, in quibus duæ tantùm ſunt vocales, primo habenda eſt ratio tertiæ vocalis, quæ denotat concluſionem. v. g. A denotat concluſionem univerſalem affirmativam, & ſic de alijs, juxta illud: Aſſerit A, negat E, ſed univerſaliter ambæ: Aſſerit I negat O, ſed particulariter ambo.

Secundò, in qualibet dictione ſunt duæ aliæ vocales A & E, prima denotat prædicatum, ſecunda ſubjectum. Tertiò, ſex conſonantes reperiuntur in prædictis dictionibus, B. C. D. F. G. H. per B. denotatur medium debere eſſe conſequens prædicati, C antecedens, D. repugnans. Per F denotatur medium debere eſſe conſequens ad ſubjectum G. antecedens, H repugnans, juxta illud:

Præ-

Prædicat A. sequitur B. C præit, D quæ repugnat,

E subit, F. sequitur, sed G præit, H quæ repugnat.

Sit igitur probanda propositio universalis affirmativa: *Omnis homo naturaliter scire desiderat*: Sumatur *Fecana*: ultimum A significat conclusionem universalem affirmativam: assumendum ergo est medium, quod denotat F ante E, & C ante A, hoc est, quod sit consequens subjecti, & antecedens prædicati: tale est, *disciplinæ capax*; per quod in Barbara sic probatur conclusio: *Omnis disciplinæ capax naturaliter scire desiderat*: *Omnis homo est disciplinæ capax*, ergo. Et idem artificium est in reliquis dictionibus: juxta hos versiculos:

Barbara cum Darij per FEGANA syllogisabis.

At per CAGETI Disamis, Datisiq; Darapti,
Celãtes HEBARE Camestres, atq; Baroco,
Cesare per DAFENES Ferio, Festino, Celarent.

Fapes, Fris, Felap, GEDACO Bocardo, Ferison
Per GEBALI Dabitis, Baralip, medium tibi quæres.

Antequam autem proponat argumentũ, (ut Respondentem ad falsum ducat & Inopinabile) ingeniosus oppugnans, interrogat quædam à Respondente, ex quibus ejus assertio destrui possit. Nec de aliquo determinato interrogat, quamvis ad determinatum aliquid interroget; ut incautus, & ad propositum determinatum non respondens, propositiones admittat, ex quibus concessis manifestè concludat; quod si intellexisset, negasset omnia, aditumque argumentationi per proterviam obstruxisset. Hinc oppugnans à rebus, quæ à proposito longè videntur distare exorditur: idque in quo tota vis refutationis posita est, interdum multitudine interrogationum obruit, & quasi pallio rerum similium tegit, quo Respondens securior factus; & quasi in alijs rebus, nihil ad propositum perti-

pertinentibus occupatus, sinceriùs dicat quod sentit. Laudare nonnunquam solet callidè Respondentis dicta, ut liberalius & securius respondeat, & tunc ex insidijs opprimatur, dum audacia formidinem fraudis detrahit. Sæpenumerò ad ea ducit, ad quæ promptior est argumentari, simulque disputationem à proposito, ad materiam Respondenti ignotam occultè transfert: Sæpè etiam in disputationis decursu cavillationes adhibet, ut irâ & contentione turbet compositam Respondenti mentem: cùm Respondens in concedendo parcus est, semperque fraudis metu negat: alter ex negatione interrogat, ac si contrarium velit: ut si propositum est affirmativum, negativam partem interrogat: vel sub disjunctione utrumque, ut Respondenti dubium fiat, quod velit sumere &c.

Ex Physica.

Concl. I.

De Objecto Physicæ & Principijs intrinsecis Corporis naturalis.

PHysica, est Scientia speculativa, sic dicta, quod sistat in pura veritatis contemplatione, absque eo, quod quidquam circa suum objectum efficiat, aut ad aliquid efficiendum dirigat. Pro suo objecto corpus naturale considerat, ad hoc, omnia, quæ in illa tractantur, vel ut partes, vel ut principia, vel ut proprietates revocat: per quod ab omni alio habitu distinguitur. Per corpus non intelligitur quantitas triplicis dimensionis;

nis;

nis; juxta longum, latum, & profundum; Sed ipsa Substantia, quantitatis exigitiva. Per naturale autem id quod continet in se naturam, id est principiũ motûs & quietis. Nec obstat quod corpora naturalia sint singularia, & quod hæc scientia naturalis, à singularitatibus præscindendo, versetur per cognitiones certas, & evidentes circa rem, corpus scilicet naturale, ut simpliciter necessariam, quo ad existentiam. Dari principia naturalia certum est, ex productione entium de novo, quæ non fiunt ex nihilo, sed ex subjecto, quod materiam primam dicimus, & id quod producitur ex ea, formam quæ ut procedit ex non esse sui, signat privationem, & hoc tertium principium, nuncupamus. Hinc tria tantummodo esse principia rerum naturalium in fieri agnoscimus: Sine quibus nec esse nec concipi potest per locum intrinsecum, mutatio in fieri; & quibus præcisè positis, habetur conceptus adæquatus illius. In facto esse dantur duo solùm, materia

& formæ. Nec plura assignari possunt. Actio autem productiva tamquam via; unio, tamquam ratio principiandi, compositum, reliquæ verò dispositiones, & accidentia ut conditiones, ad principium requisitæ, habendæ sunt. Hæc principia ab Arist. bene definiuntur. *Quæ neq; ex se, se, neq; ex alijs, sed ex his omnia*: In qua particula *ex* semper eodem modo sumi debet, ut ubique significet habitudinem constituentis rem intrinsecè, in eodem genere. Per hoc tamen non negamus, bene etiam explicari definitionem principiorum ab alijs, qui particulam *ex* duobus prioribus locis significare volunt habitudinem partis componentis, tertiò verò habitudinem tam partis componentis, quam termini à quo, ita, ut sensus sit: Principia sunt, quæ neque ex se se, neque ex alijs, sed ex ipsis sunt omnia, ut partibus intrinsecè constituentibus, quæ utraque hanc naturam principiorum commodè explicat, nec ullam in oppositum patitur magnopere difficultatem.

Prin-

Principium universaliter sumptum est, primum unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur; ly primum, vel simpliciter, nimirum in omni, vel secundum quid, hoc est in certo tantùm genere prioritatem designat; prima Deo, qui est fons, & origo rerum omnium, altera causis secundis in ordine ad suos effectus competit. Ly verò *unde* latiùs sumptum, causis intrinsecis materiali & formali, & extrinsecis efficienti, & finali, in rigore tamen solis intrinsecis tribuitur.

CONCL. II.

De Materia Prima.

Materia prima physice & positivè definitur; *Subjectum primum uniuscujusq́, ex quo aliquid fit, cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur in*

hoc abibit ultimum. Ad cujus evidentiam physicam evincendam, non est op⁹ principijs, exterminis notis; sed satis est, si per continuam, & universorum singularium, ejus certitudo deprehendatur, ita ut nullâ sensibili experientiâ, in contrarium inductio fieri possit. In transmutationibus substantialibus, aliquid cum posteriori forma remanet, quod erat cum priori; accidentia verò, sine alio ex natura sua esse nequeunt, nec defacto in subjectum transmigrare, aut ex nihilo produci valent, quæ prævia sunt ad formam substantialem inducendam saltem connaturaliter, dispositiones. Qui nec quo ad evidentiam, nec quo ad certitudinem hic nobiscum sentiunt, transmutationem substantialem & transubstãtiationẽ ad invicem confundunt, alterationis verò essentiam prorsus eliminant, & facultatem creaturæ ordinariam ex nihilo producendi amplam concedunt. Quid autem magis sensibile experientiæ repugnans, quàm dicere, quod in viventibus & bru-

& brutis, tanta operationum varietas, cum Atomiſtis, & partium heterogeneitas, & ſubordinatio ad unum finem, habeatur; ex ſola diſpoſitione & ſituatione corpuſculorum? Elementariſtas hinc quoque rejicimus, quæ cum & ipſa adinvicem elementa tranſeant, jam noſtri rationem ſubjecti indicium præbent.

CONCL. III.

De Ratione Subjecti.

Essentialis conceptus materiæ primæ, ut habet rationem ſubjecti, conſiſtit in hoc, quod in genere cauſæ materialis, concurrat ad ſuſtentandum aliud, cum quo facit unum per ſe; aut certè ſi non ad ipſum in genere cauſæ materialis concurrat, ſaltem ad prævias ejus diſpoſitiones, ad quas tamen connaturaliter ſequitur illud aliud; reſpectu cujus

cujus prioritatem naturæ retinet; Communis illius conceptus tam ad subjectum inhæsionis, quàm informationis est, quod causet in genere causæ materialis mediate, vel immediatè, illud juxta Philosophum ad accidentia sustentanda habilitatem, hoc ad formas substantiales requisitam. Ab hac ratione excluditur humanitas Christi, respectu verbi; utpote nec ipsum verbum, nec ipsas dispositiones ad hoc requisitas & sibi in debitas sustentans. Item qui, in actuali formæ cum materia copulatione; & qui in eo, quod materia causet formam, vel saltem illius unionem, aut qui in eo quod quomodocunque perficitur à forma, & non è contra; multo magis qui in indifferentia, siquidem materia maneret in suo esse, licet nulla forma illi uniretur, aut ulla ex ea educeretur; nec minus per formam quàm hæc per illam compleatur, & denominatione mutua gaudere possit, neque specificam rationem possibilem hæc nostra alterius materiæ excludat.

dat, indifferentiam pluribus rebus communem, v. g. respectu Angeli & hominis, retinendo. Illud autem quod ignobiliora prædicata alteri communicat, rationem subjecti planè non evincit, sic natura humana subsistentiam magis nobilitat quàm nobilitetur ab ea, sive jam sit modus, sive duplex negatio. Nec implicat forma substantialis, multò imperfectior materiâ nostrate.

CONCL. IV.

De Reliquis materiæ primæ affectionibus.

Materia prima habet appetitum simplicis complacentiæ, æqualem ad omnes formas, distributivè, tanquam ad suum bonum, quod est compleri substantialiter; quo in genere non minùs hæc, quàm illa forma seu perfectio

sen

ſeu imperfectior, bona eſt. Unde etiam æqualiter reſpicit formas, tam corruptas ex ſolo decreto Dei non iterum producibiles; quàm poſſibiles nunquam producendas. Ejuſdem ubiq́ue rationis eſt, ſive in corpore ſublunari, ſive in cœleſti; ubiq́ue ingenerabilis & incorruptibilis, poteſtq́ue abſolutè ſine ulla forma exiſtere, quemadmodum & omnis forma ſine materia.

CONCL. V.

De Forma ſubſtantiali.

DAntur formæ Subſtantiales, quæ cum materia conſtituant unum per ſe compoſitum ſubſtantiale. Qualem animam rationalem eſſe, fidei certitudine tenemus, à quo æq́ue certa deſumitur ratio ad alios actus primos corporis naturalis; qui tamen non præexiſtant in materia, ſecundum aliquod eſſe reale,

reale, nisi infinitas formas eandem materiam actu sustentare, & eandem formã esse simul in diversis subjectis & materijs concesseris. Materiam tamen primam respicit forma substantialis ut actus passivam potentiam sibi propriam, sicque illam terminat, ut nequeat ejusmodi forma alteri subordinari, cum qua tamquã actus cum potentia, unum per se efficiat; ut pote nullâ ad hoc necessitate constrictâ solo proprio substantiali effectivo & finali propter quam omnia in composito producuntur contenta: quales non sunt formæ partiales, quæ etiam juxta Adversarios ad formam substantialem totalem ordinantur. Quæ si materiales sunt, educuntur ex materia, ab agentibus naturalibus, quæ non possunt operari, nisi dependenter à materia, tametsi non repugnet eas creari, quarum materialitas non desumitur ab actuali dependentia, sed à connexione naturali, quam habent in existendo cum materia tamquam subjecto, quam connexionem habere possunt,

sunt, & si aliunde contra exigentiam propriam & naturam, creentur. In consequenter philosophantur, qui negatis formis partialibus, admittunt partes, in ijs animabus quæ divisibiles sunt, non esse ejusdem rationis; Sed valde diversas, & heterogeneas in perfectione, atque ita ex illa partium varietate oriri diversitatem organorum atque dispositionum, quarum aliæ capiti, aliæ & planè contrariis cordi, aliæ alijs partibus debentur. Verum non eadem partium, sed etiam major varietas in corpore humano reperitur, ubi tamen est eadem indivisibiliter anima, evidens est ex illa organorum varietate, non bene argui heterogeneitatem, in ijs animabus quæ divisibiles sunt, sed omnem illum organorum apparatum, in talem animam refundi posse, quæ si divisibilis sit, habet omnes partes ejusdem rationis. Nulla pars animæ exigit determinate esse in capite, vel alia parte corporis organici, sed eandem partem, quæ est de facto in capite leonis v. g. potuisse

poni

poni in pede, & dato casu, pedem nihilominus futurum fuisse pedem, qui defacto est, nam quod illa pars quæ defacto est in capite, habeat alia accidentia, quàm habitura fuisset in pede, vel alia parte corporis, illud non provenit ab illa parte animæ, seorsim sumpta, sed à tota anima collectivè sumpta, quæ exigit corpus & organa suis operationibus proportionata, licet non exigat per hanc partem determinatè, potius esse in hoc organo, quàm alio, sed solum per aliqua indeterminatè, in hoc, per aliam in alio, ita ut per illius partes occupentur omnia organa, corporis sibi proportionati.

CON-

CONCL. VI.

Plures formæ nec Divinitus possunt esse in eadem materia, non replicata & eodem modo existente.

Quantumcunque concursum præstet Deus, & conatum adhibeat quantum velit, ex re tamen ex intrinseca essentia, non habente vires ad sustentandum duas formas, id præstare non potest. Nec ex albedine formam educere, quam albedo in intrinseca sua essentia, & natura non continet. Materiæ vires commensuratæ uni formæ, si dividantur, ineptæ ad suum munus obeundum redduntur. Eductio quâcunque perfectione sit prædita, in hoc consistit; quod causa materialis se ipsam exhibeat alteri, ut illud intra se penetrativè recipiat; ita tamen,

men ut illud alterum existere non possit, naturaliter in rerum natura sine receptione. Actio verò creativa formas materiales virtute suâ sustentat, nullo adminiculo à materia accepto; Manente eadem entitate materiæ, secundum idem esse, manet eadem in capacitas ejusdem respectu plurium formarum. Quæ sufficienter completur per unam, potentia inchoativa ad plures omnino destituta. Non est eadem ratio loci, quo ad plura corpora Divinitus penetrata, quæ materiæ, respectu plurium formarum, suam illis causalitatem exhibentis, nihil simile loco corporibus præbente. Habet quidem materia simultatem potentiæ, sive totam potentiam simul; non tamen habet potentiam simultatis, sive ut formas omnes simul recipiat.

CONCL. VII.

De Privatione.

OPposita formæ Privatio, duo dicit, in Recto negationem formæ: in obliquo capacitatem positivam subjecti, hinc definitur. *Quod sit carentia formæ in subjecto apto.* Alia est remota, quæ est in materia, respectu quarumcunque formarum, præcisis dispositionibus: proxima verò quâ materia affecta certis dispositionibus privatur formâ illis dispositionibus debitâ: hæc est *principium physicum quod principiat compositum, in fieri per ultimum sui esse*, id est tamquam terminus à quo, materia transit ad formam, quæ si non sit ultimo, tunc est potiùs quies, & permanentia compositi, in facto esse completo. Est unum ex principijs intrinsecis, quorum natura est per suum esse, sive per sui exhibitionem causare.

Mate-

Materia dupliciter considerari potest inchoativè & complectè, illud habet per privationem, hoc per formom; quam sicut implicat non existere tunc, quando terminat actionem perfectivam sui, ita repugnat etiam privationem terminare, actionem sui destructivam, quin eo instāti existat suo modo. Non est proinde principiatio privationis ipsa generatio, sive eductio formæ, vel uniohis, aut dispositionum; sed est ipsa privatio quatenus se ipsâ constituit, tamquam pars mutationem, per locum intrinsecum. Non bene dicitur ex privatione fieri totum simpliciter, v. g. ex non igne ignem, ratione cujus Arist. 1. Phys. Cap. 66. dicit privationem esse principium per accidens, scil. compositi, non verò mutationis, quam per se constituit. Quando dicitur: desinit privatio, siue primò non est, idem prorsus sonat, ac non est, non esse formæ in subjecto apto; quod idem est dicere, ac formam esse in subjecto apto: ex illo principio: *Negatio alicujus negativi est æ-*

 qui-

quivalenter affirmatio ejus contradictorũ positivi; sic negandò esse tenebras asseris lucem. Tot sunt specie & numero privationes in materia, quot sunt specie & numero formæ, quas materia potest recipere & eas non habet, unitas privationis essentialis desumitur à forma quâ privat, & unitas individualis ab unitate individuali formæ, nisi forsan dicere velis, privationem formæ leonis esse etiam privationem animæ rationalis, quod falsum est, quæ de facto sunt separabilia in homine, qui dicit negationem formæ leonis, non verò animæ rationalis. Opponuntur formis immediatè in subjecto apto, in quo sunt, sic nec forma visionis, nec privatio ejusdem, est in lapide, in quo media reperitur pura visionis negatio; & sic infinitæ erunt negationes Syncategorematicè, sicut & formæ: & totidem principia, physica remota, non verò proxima.

CON-

CONCL. VIII.

De Modis modi non Dantur.

ILlud principium: Non datur transitus, de contradictorio in contradictorium, sine mutatione: non evincit mutationem fieri debere per modum. Indifferentia causæ ad effectum &c. non necessariò, modali entitate determinatur ultimò: Sicut nec ipsius modi determinatio, per distinctum modum ponitur, nisi processum in infinitum velis admittere: quod ipsum cum de omni Relatione tam maximè quæ fundatur in unitate, dicendum esset: idem de distinctione reali, & productione creaturæ à Deo tantùm producibilis quæ se ipsa essentialiter dependeret, non minùs quàm Modus à modificato. Defacto autem licet dari

hoc agens & hic effectus, nec tamen hic effectus procedere ab agente: non potest dari agens cum omnibus requisitis, & hic effectus: & non tamen hunc procedere effectum ab hoc agente. Nulla proinde Modi necessitas: Imò sicut impossibilis est Creatura, quam Deus, utpote perfectissimus dominus destruere immediatè non possit: Ita impossibile est ens creatum quod Deus non producere se solo, quod potest cum alio: qualem esse modum ajunt, qui nec produci, nec conservari potest sine modificato. Admissis porrò modis, admitti entia ex natura sua indestruibilia necesse est.

CONCL. IX.

Non datur modus unionis distinctus à materia & forma proximè sumptis.

Partes

PArtes uniuntur se ipsis immediatè, positis omnibus requisitis, non minùs quàm unio se ipsa unitur: Si materia & forma possint esse in rerum natura, & non unita, id defectu, non materiæ & formæ, sed alicujus necessariò requisiti est. Unio proinde pro materia & forma in recto supponit, esto dispositiones quoque & alia requisita in obliquo essentialiter importet: quibus proinde mutatis mutatur compositum substantiale: & sicut generatio hominis ita mors, seu corruptio substantialis est, illa productio in esse totius, hæc desitio totius substantialis in non esse totius: Neque verò omne quod ad substantiale requiritur compositum, debet esse substantia, præter partes pro quibus compositum supponit: Si duo extrema completa uniri inter se substantialiter positis quibuscunque extrinsecus requisitis, non possunt defectu proportionis actûs & potentiæ est.

CONCL. X.

De Composito.

Compositum à partibus simul sumptis & unitis non distinguitur realiter: causa proinde intrinseca adæquata totius non datur, datur inadæquata, à qua totum realiter inadæquate distinguitur, seu ut includens ab incluso. Omnes Partes sumendo, ly omnes distributive id est singulæ sunt tantum causa inadæquata totius ad quod non opus est, ut pars unaquæque compartem causet, vel seipsam, sed tantùm sit aliquid totius; omnes vero collective & in recto sunt ipsum totum, non causa totius: Sic partes esse minores toto, priores, notiores, distinctæ, intrinsecè componentes &c. In sensu distributivo concedimus, in collectivo negamus. Contrà in Toto Senario esse bis tria, & ter duo, atq; adeo paria & imparia, negamus in distributivo, in collectivo concedimus. Nullum accidens

[illegible] ens est in toto composito, tanquam in [illegible]bjecto inhæsionis, omnia sunt in eo [illegible]nquam subjecto denominationis. Su[illegible]erest igitur in materia vel forma tan[illegible]uam in subjecto inhæsionis sint acci[illegible]entia. Materia prima est quantitatis & [illegible]ualitatum tam primarum, quam secun[illegible]arum, quæ ex primis oriuntur, subje[illegible]tum. Quantitas non est subjectum ali[illegible]rum accidentium, etiam cum sine ma[illegible]eria existens, miraculosè conservantur [illegible]ccidentia. Hinc formæ tam substanti[illegible]les, quàm accidentales, dicuntur quan[illegible]æ determinativè, à quantitate materiæ, [illegible]anquam ejus proprietate.

CONCL. XI.

De Natura & Arte.

Natura, est *principium & causa motûs, & quietis, ejus in quo est primò, & per*

 se, &

se, & non secundùm accidens. Sic definit præscindentis ab *Activo*, & *passivo* atque ideo convenit tam materiæ, quàm formæ existentibus in composito; quarum utraque est principium & causa motûs & quietis, materia passionum, forma actionum, in eo in *quo sunt primò* & per se, nimirum composito. Ex dictis collige nec Deum, nec Angelos, nec Accidens licèt sint causa motûs efficiens, esse naturam, imò nec compositum, sive in concreto sive in abstracto: nec privationem, quæ licet sit principium, non tamen est causa: nec materiam & formam extra compositum: nec Animam rationalem separatam, licet sit natura, etiam qua rationalis, prout unitur materiæ. Naturale est quod provenit cum inclinatione totius mobilis seu compositi naturalis. Inclinatio solius materiæ, ut principij passivi non sufficit nisi genericè, quæ cum secundum se sit indifferens ad quemcunque motum, sequeretur non dari motum violentum qui tamen dabitur, si materia consi-

considereretur ut informata; quatenus sequitur certam inclinationem formæ, ideoque totius compositi. Sic cum materia physicè actuatur à forma, auri aut aëris hæc petit moveri sursum, illa deorsum. Violentum est *quod ab extrinseco est contra naturalem impetum aut inclinationẽ.* Motum violentum rectè descripseris esse eum, qui recipitur in subjecto habente positivam ad eum recipiendum resistentiam. Datur motus medius, nec naturalis, nec violentus, qualis defacto est motus Cælorum circularis, tum quia non est à natura, sive ab intrinseco, sed ab intelligentijs: nec est contra positivam exigentiam Cœlorum. *Ars est regula intellectûs, qua dirigitur Artifex, ad elegantem operis externi effectionem.* Alia est *Actualis* quæ est cognitio in mente artificis, dictans, & dirigens modum faciendi operis: alia *Habitualis* quæ est facilitas inclinans, & facillitās ad ejusmodi opus efficiendum. Differt à natura Artis quod natura sit principium & causa motus in-

existens rei mobili: Ars verò rei, quæ ad formam artificialem movetur extrinseca & intrinseca operanti. Controverti solet an Ars, quæ simia est naturæ, veri auri sit productiva, quod probabilius judico: neque ulla hujus ex parte causæ materialis, aut ex parte modi, impossibilitas ostendi potest: quidquid sit an de facto per artem directivè aliquando aurum sit productum, aliunde possunt alia metalla in se invicem mutari: ex ferro fieri cuprum, quod fit per aquam Cassoviâ quatuor milliaribus distantem. Cur per commixtionem Mercurij & Sulphuris (quæ dicuntur materia communis pro auro & argento, pro auro verò specialiter cuprum vel argentum per ignem usque dum ulterius non deficiat excoctum) cur inquam ex his non posset fieri aurum? cùm etiam multo mirabiliora fiant opera Dæmonis, qui tamen nihil nisi naturaliter operatur.

Quemadmodum artificialia opera naturalibus, ita artificialibus magica vicinius.

cinius accedunt. Magia definitur communiter, *quod sit ars, seu facultas vi creatâ non super naturali, mira quædam & insolita faciens, quorum ratio sensum, & vulgarem hominum captum excedit*: sive ex modo operandi ut est funambulatio, sive ex termino producto ut homo cornutus.

Dividitur ars, in purè naturalem, artificiosam, & superstitiosam, aut diabolicam purè naturalis est exacta quædam arcanorum cognitio, vel est ars quæ ex proprijs tum physicis tum astronomicis Cœlorum cœlestiumq; corporum influentijs, causarum activitate, & passibilitate, sympathia & antypathia accuratè observatis agentia naturalia in tempore, & loco, tam dextrè sibi invicem applicantur, & foventur usque dum naturali cursu, quidam vulgo prodigiosi effectus producantur, quâ arte Turca quidam Venetijs, ut refertur, liquato plumbo indemnem absterfit faciem & nonnullas Argentinensis puerum vivum supra carbones vivos assavit incolumem.

Ad Diabolicam magiam requiritur pactum implicitum, vel explicitum cum dæmonibus innitum. Explicitum est, cùm quis immediatè cum diabolo per res sensibiles vel mediatè cum mago, ut plenipotentiario diaboli contrahit, aut ad contrahendum ei libellum supplicem, in conventiculis sagarum tradendum porrigit facta fidei abnegatione, Sacrilegâ Confessione, & pro vero Deo veneratione exhibitâ Diabolo. Si verò cum ipso quidem dæmone non contrahit, utitur tamen solitis cæremonijs cum voto assequendi id, quod magi assequuntur: Pactum est implicitum. Igitur superstitiosa & Diabolica magia, Ars est, *qua vi pacti sive impliciti, sive expliciti cum dæmone initi mira & communem hominum captum excedentia producuntur à magis*: Moraliter, quatenus nimirum diabolum movent, & alliciunt adhæc, per physicam activorum ad passiva applicationem efficienda physicè.

CON-

CONCL. XII.

De Causis in communi.

CAusa ut sic, est principium per se, dans esse rei natura sua defectibile. per Ly defectibile, intelligitur quod non necessariò existit, sed quod poterat esse, vel non esse; per quod excluditur Pater in Divinis respectu Filij, à ratione causæ; & Ly, per se dans esse eam discriminat à causis per accidens, à privatione, condicionibus, quæ solùm sunt requisita ad connaturaliter dandùm esse effectui. Causa porrò in actu primo ab ipsa entitate rei non distingvitur: in actu primo proximo concretum, quoddam est, quod præter entitatem suam in recto, dicit omnia requisita ad agendum, concursum Dei paratum, negationem impedimenti inauferibilis, per causalitatem & effectum, &c. in obliquo. Sine quibus nulla datur actio.

CONCL. XIII.

De Actione & Passione.

ACtio, est actualis influxus causæ in effectum, seu emanatio hujus ab hoc: Passio verò hujus in hoc: neutra distingvitur modaliter ab effectu connotante causam cum omnibus ex parte actûs primi proximi ad agendùm requisitis: quibus positis implicat effectum, sive liberum, sive necessarium non pendere ab illa causa: Non repugnat tamen eundem effectum, modò pendere ab hac causa, modò ab illa. Passio ab actione non differt, nisi connotato: quatenus illa materialem, hæc efficientem conotat causam: quo pacto benè salvatur eadem ratione concurrere causam primam, & secundam. Ex Hypothesi quòd v. g. lumen à Sole productum Sole ipso præsente, conservetur à DEO solo, tunc poneretur impedimentum, quo minùs acciperet influxum à Sole posset,

CON-

CONCL. XIV.

De Prioritate Causæ.

OMnis causa prior natura est suo effectu: quæ naturæ prioritas in inconvertentia ab alio defectibili consistit, sive quòd una res creata existat dependenter ab illa: ita, ut dependens dicatur posterius naturâ, si simul defectibilè sit: independens verò prius, sive deffectibile sit, sive non: Hinc omnis mutua priõritas implicat, sive in eodem, sive in diverso genere: Nihil potest seipsum causare, sive quoad primum, sive quoad secundum esse: inter producens & productum, realis est relatio, quæ semper realem supponit distinctionem.

Non modò naturaliter, sed ne de absoluta quidem DEI potentia potest idem, numero eodem modo, tempore & loco existens, à duabus causis totalibus depen-

dependere effectus; cujus dependentia omnis præsupponit alterius indigentiam ad hoc, ut existat: quæque indigentia per unicam causam adæquatam, vel per duas inadæquatas, adæquatè expletur: unde agentia similia æqualiter applicata, pro eodem signo, eidem passo non possunt duas formas similes in eadem materia producere, ad quas simul habendas, materia non habet indigentiam; proinde, nec capacitatem. Similiter, non potest eadem causa plures effectus totales simul, & semel intra eandem speciem, vel etiam eandam sæpius causare: ad cujus totalem virtutem terminandam sufficit unicus, sicut huic una causa. Et quamvis plures Sacerdotes formam consecrationis proferentes producerent eundem effectum, ut causæ morales, quæ liberè moverent DEUM ad producendùm Corpus & Sanguinem CHRISTI sub Speciebus? non tamen essent causæ à quibus idem effectus Physicè ex necessitate & indigentia dependeret. Idem nihilominus effectus potest

est à pluribus causis univocis, divisis produci, etiam naturaliter. Omnis causa intrâ suam sphæram, omnes effectus possibiles sibi similes habet, se exceptis ad hunc, vel illum individuò determinatur à causa prima.

CONCL. XV.

De Causa materiali & formali.

MAterialem sic definit Aris: 2. Physic. Cap. 28. est id ex quo fit aliquid cùm insit: quibus verbis, si ad Ly *insit?* addas *primo*, solùm definietur causa materialis, quæ est materia prima; absolutè verò convenit enti cuicunque, quòd causam materialem exercet, sive illud Ens Spirituale sit, sive materiale, sive materia sit, sive forma. Ly, *ex quo* cæteras causas segregat, & privationem, quamvis hæc per Ly, *cùm insit* reijciatur. Formalis juxta eundem Philosophum ibi: *Est ratio ipsius quod.*

quod quid erat esse rei. Per quidditatem intellige, id quod intrinsecè complet, dans scilicet ultimum esse compositi, determinandò illud, ad certam & cōpletam speciem: sive forma illa sit naturalis, sivè supernaturalis, sive materialis, sive Spiritualis, sive substantialis, sive accidentnlis. Unde commodè formalem causam sic definies: quod sit principium determinativè influens in aliud à se depondens.

Causalitas, materialis est formæ recēptio; alia cum sustentatione: ut formarum educibilium; alia sine, ut formarum quæ per creationem tantùm producuntur: Causalitas formalis est, non quomodocunque, sed ut informatio, seu actuatio est. Utriusque effectus primarius est ipsum compositum: Expulsio verò formæ præexistentis in materia, est causæ formalis effectus quidam improprius, saltem negativus, & secundarius. unde sicut impium est dicere: Deum posse esse formam, ita impossibilè est per absolutam potentiam poni effectum formalem

sine-

ſine ſua forma; v.g. album ſine albedine: Pariter quoq; impoſſibile eſt, Deum ſupplere cauſalitatem formalis cauſæ, per aliquam alterius generis cauſæ cauſalitatem: Sicut nec cauſalitas efficientis ſuppleri, vel de abſoluta potentia, per aliquam alterius generis cauſalitatem potest.

CONCL. XVI.

De Cauſa Efficiente.

Efficiens ex Philoſopho eſt id, unde, vel à quo eſt primum principium motûs & quietis: Ly *Unde* notat efficientem eſſe quid extrinſecum effectui, & præterea principium cauſativum. *A quo* proinde excludit omnes alias cauſas: item privationem, quæ eſt principium

à quo

à quo terminativè, non causativè: Imò & naturam, non pro activo præcisè principio sumptam, sed pro passivo tantùm, vel pro activo, & passivo simul. Ly mutationis, significat actionem, seu viam: Ly quietis, accipitur pro termino, qui per actionem ponitur; quo obtento, efficiens ulterius non tendit. Dicitur primùm, ordine executionis, non intentionis, qua ratione, solus finis est primum.

Efficiens dividitur primó in Principalem, quæ vel adæquat, vel superat in perfectione effectum, & instrumentalem, quæ concurrit ad effectum nobiliorem se, virtuté improporcionata. Omnis proinde causa, quæ vel per effectum à se, tanquam à causa per se productum, conducit tantùm vel disponit aliquid in ordine ad effectum causæ principalis, est causa instrumentalis: vel si per se attingit causæ principalis effectum; id non facit naturali, sed obedientiali virtute, à DEO elevata; diciturque causa instrumentalis supernaturalis, dicens in rectò rei entita-

tem,

em, in obliquo extraordinarium Dei concursum. A principali differt Totalis, quòd hæc ne supernaliter quidem partialem admittat, illa admittere possit.

Dividi itaque efficiens potest, primò in primam seu increatam quæ est DEUS, seu Ens à se, quæ non pendet ab alia, neq; quoad esse, neq; quoad operari; & in secundã, quæ quoad utrumq; pẽdet ab alia. Secundò in universalem, quæ est superior ad aliquas saltem particulares, ad earum proprios effectus concurrendò: sic Deus, Sol, cum homine producunt hominem; & Particularem, quæ certos quosdam effectus propriæ virtuti respondentes, sola per se attingit. non cum alijs causis subordinatis: ut Sol lumen. Tertiò in univocam, quæ attingit effectus ejusdem secum naturæ & speciei, qualis est ignis, respectu ignis. Et æquivocam, quæ effectum speciei secum diversæ producit, ut Sol lumen, Quartò In necessariam, quæ positis omnibus ad agendum, non potest non agere: Et liberam; quæ positis omnibus ad agen-

dum

dum, prærequisitis potest agere, aut non agere: qualia sunt omnia agentia, ex cognitione, & libero arbitrio. Quintò, In Physicam, quæ per suam agendi virtutem, naturalem attingit effectum: & moralem; quæ vel orandò, vel consulendò movet causam Physicam efficientem ad ponendum effectum; quamobrem illi imputatur ex morali hominum æstimatione effectus. Sextò, In naturalem, quæ ad agendum alium Dei concursum, quàm generalem sibi debitum non requirit; Supernaturalem, quæ cùm in entitate sit ordinis supernaturalis, respicit per se effectus supernaturales, quos cum solo concursu generali, sibi debito potest producere. Ut lumen gloriæ visionem beatificam; Et obedientialem, quæ cùm sit in entitate naturalis, elevatur à Deo ad effectus supernaturales, supra vim propriam ac connaturalem: ut intellectus ad eliciendam visionem beatificam: Actus Fidei, &c. Septimò in partialem, quæ sola Virtutem sufficientem non habet;

bet: & in Totalem, quæ Virtutem adæquatam, & in suo genere sufficientem habet, ad producendum effectum. Octavò, In efficientem per se, quæ per vim sibi propriam attingit effectum, & ex proprio instituto. Ita Sol per se lumen producit ignis calorem, sic musicus ut musicus per se canit, &c. Et efficientem per accidens: quæ nec vi propria quatenus talis, nec proprio ex instituto attingit effectum: sic Aqua calida, per accideus tentùm calefacit: Musicus per accidens ædificat, aut pingit. Efficientium per accidens, alia ex parte causæ est talis, ut in allatis exemplis; quando nimirum effectus non est ex proprio causæ instituto. Alia est per accidens ex parte effectûs, quando effectui, vel naturali, vel per se intento, alius effectus adjungitur, qui sit præter agentis institutionem, aut qui nullam cum illo habeat connexionem: cujusmodi effectus dicuntur, vel casuales, vel fortuiti; quorum causa est, vel casus, vel fortuna: differuntq; in eo, quòd effectus fortuiti, sint

tantùm

tantùm ab agentibus intellectualibus: quatenus operantur ex intentione finis, & prævisione. Sic invētio Auri quæ aranti in ordine ad ſeminandum obvenit, dicitur fortuita, & agricola ille fortunatus: cùm autem tegula v.g. pro ſua naturali gravitate decidens cadit ſupra prætereuntis caput, læſio illius dicitur: caſualis. Hinc reſpectu Dei, nihil poteſt accidere caſuale, aut fortuitum: Sicut nihil fieri poteſt, præter illius proviſionem, intentionem, aut permiſſionem. Ita viris prudentibus, pauca fortuitè contingunt; & parùm prudentis eſt dicere: Non putabam. Fatum in re, aliud nihil eſt, quàm diſpóſitio cauſarum omnium ſecundarū, in ordine ad ſuos effectus, prout ſubeſt liberæ Dei providentiæ: ſeu ipſa Dei providentia, prout univerſum adminiſtrat, cauſas ſecundas diſponens certos ad effectus, neceſſarios quidem determinandò, liberos autem concurſum indifferentem, ſingulis juxta ſingularum naturā præbendo. Nono. In mediatam, quæ non ſuâ

Vir-

Virtute, vel ſuomet ſuppoſito agit, ſed mediante alio; Immediatam, quæ vel ſuâ virtute, vel ſuomet agit ſuppoſito. Unde talis cauſa dicitur, vel immediata, immediatione ſuppoſiti, eò, quòd ſuppoſita agentis & paſſi, ſint contigua, aut intimè præſentia; vel immediata immediatione Virtutis, eò, quòd Virtus agentis, per actionem, per medium continuatam, tranſmittatur ad paſſum diſtās reſpectu ſuppoſiti agentis; indiſtans reſpectu Virtutis ejus; non quòd Virtus principalis ſaltem agentis ſit ab eo diſtincta entitas, quæ per medium tranſmittat; ſed quòd propter agentis actionem in medio, ad terminum uſq; continuatam, etiam in medio & termino cenſeatur, virtualiter adeſſe Agens.

CONCL. XVII.

De Virtute activa cauſæ creatæ.

Subſtantiæ creatæ non repugnat activitas, neque ratione perfectionis, cùm

Deo conveniat; neque ratione imperfe-ctionis, cùm conveniat Accidenti. Imò defacto effectivæ sunt substantiæ, non mi-nùs quam passivæ immediatè. Accidens seu qualitas accidentalis per suam entita-tem immediatè producit alia accidentia; calor etiam cùm est in aqua, producit ali-um calorem, quo in casu solus calor per se potest esse causa caloris producti. Acci-dens non attingit per se immediatè sub-stantiam; ne quidem per obedientialem potentiam, seu ut supernaturale instru-mentum, ad quod requiritur inchoata na-turalis potentia; quæ in eo consistit, quòd sit productiva effectûs similis illi, ad quem à causa superiore elevatur, non in ratione generica tantùm, sed etiam in specifica. Substantia proinde à sola substantiali for-ma producitur; & ea absente, ejus intuitu, à DEO, ut causa universali. Accidentia tamen ut instrumenta, & conditiones, sine quibus non, effèctivè tantùm dispo-nunt. Proinde Phylosophus cùm ait *lib. de sensu & sensili*: Ignem non agere quate-

nus

nus ignem, sed quatenus calidum, non reduplicat rationem formalem agendi, sed conditionem requisitam, & cùm ex S. Thoma adferunt substantiam non esse per se operativam, intellige *naturaliter*, sine prævia dispositione. Axiomata illa: *Actio est inter contraria*: Item ejusdem est disponere, & formam introducere: intellige, ut Ly, *Ejusdem* appellet suppositum, non autem idem principium activum, quòd in eodem supposito utriq; diversum est: Ly *Contraria* sumatur latè, prout etiam Incompossibilia involvit.

CONCL. XVIII.

De Concursu Dei cum causa creata, & determinatione ad individuum effectûs.

CReatura, non modò in essendo, sed etiam in operando, sic à Deo imme-

diatè dependet; ut effectum attingere ullum nequeat, nisi ab eo simul concurrente immediatè procedat: Per quem omnia facta sunt: Et qui operatur omnia in omnibus. Et hoc ratione sui perfectissimi dominij, quod in eo consistit; quòd pro libitu possit de omnibus disponere, immediatè producendò, conservandò, destruendò, quod quemadmodum à se abdicare nequit, ita nulli tribuere potest.

In omnibus causis aliquid superfluum, & præterea in Liberis quiddam illis repugnans volunt, quicunque præter concursum DEI simultaneum, actioni causæ secundæ identificatum, desiderant insuper antecedenter, ad actionem causæ secundæ Physicum præcursum, seu prædeterminationem Physicam ex parte DEI, quâ positâ, causa prædeterminetur necessariò, ad hanc specie & numero actionem; ita, ut non possit non ponere actionem in Individuo, & in specie determinatam. Quâ determinatione positâ, sua non constaret voluntati libertas, esto possit recipere prædeter-

eterminationem, ad diversas specie, & numero actiones; quòd solum arguit indifferentiam passivam voluntatis, quæ ad libertatem non sufficit. Neque ex tali prædeterminatione infertur necessitas tantùm ex suppositione, & in sensu composito quæ libertati non officit: sed antecedens usum libertatis, & necessariò inferens Actum. Neq; opus est prædictâ prædeterminatione ut Agens quoad speciē, & individuationem effectus determinetur. Ad speciem effectûs, causæ secundæ Primam determinant. Cùm autem causæ secundæ sint indifferentes ad quamlibet numero actionem ex infinitis possibilibus, imò nec liberæ, inter eas actiones, propter summam omnium in specie convenientiam. discernere possint, secundas determinat prima quó ad individuum: Non autem circumstantiæ Temporis, Loci, &c. quæ tantùm extrinsecè, & per accidens concomitantur individuationem, & nullo modo ejus sunt principia: nisi fortè dicere velis CHRISTUM Dominum, si mediâ

horâ citius natus fuisset, alium numero hominem nasciturum. Fit autem illa determinatio à Primâ causâ, sine læsione libertatis causæ secundæ, quatenus applicat suam omnipotentiam causis necessarijs, ad hunc numero effectum tantum: Liberis verò ad hunc, vel illum.

CONCL. XIX.

De Finali & Exemplari.

Finis est, cujus gratia aliquid fit: De ratione finis est, tum ut propter se, & suam bonitatem appetatur, tum ut alia appetantur, & fiant propter ipsum. Quare media licèt extrinsecam habeant bonitatem, non tamen propter eam, sed propter finis bonitatem appetuntur. Unde & cessante appetitu Finis, cessat mediorum appetitus: sed non cessante appetitu hujus, vel illius medij cessat apetitus finis. Finalem esse verè realem, Physicam causam dici-

dicimus, & ejus motionem verè realem, e-
sto impropria sit respectu motionis pro-
priæ, seu causæ efficientis. Esto, realiter
non existat Finis, & bonitas apparens illi
non insit: Sufficit eum existere, & illam
inesse secundùm intentionem actualem,
vel virtualem: modò Finis ejusq; bonitas
secundùm se Reale quid sint. Et licèt Finis
secundùm executionem, & existentiam
realem sit ultimùm, & non ampliùs prin-
cipium, sed principij effectus; in inten-
tione tamen, & secundùm existentiam
objectivam est Primum, & Principium.
Dividitur communiter. 1. in producen-
dùm & acquirendùm. 2. Finem *operis*, ad
quem scilicet opus ex sua natura ordina-
tur, & in operantis, quem sibi operans
præfigit. 3. In motivum, qui est causa
operis, quo ad substantiam ejus; & impul-
sivum, qui est causa accidentis, vel Modi
alicujus in opere, vel circa opus. 4. In
objectivum, seu Finem *Qui*: in quem tan-
quam in objectum tenditur; & in For-
malem seu finem *Quo*, per quem Finis Qui

5. In ultimum & non ultimum. 6. In universalem & Particularem. 7. In Finem *Cujus*, id est: cujus consequendi gratiâ aliquid fit: & in finem *Cui*, id est: cui Finis cujus appetitur? Finis causalitas est ejus bonitas propria, vera, intrinseca, vel re ipsa, vel apparenter, saltèm respectu eorùm, quæ appetitu elicito, & non innato tantùm in finem feruntur. Hinc convertuntur Finis & Bonum. Virtus causandi in actu primo, est bonitas finis, non verò cognitio illius, quæ se habet ut conditio tantùm, *sine qua non*, sicut applicatio agẽtis, & passi in efficiẽte causa. Causalitas, seu Finalizatio, est ipsum fieri effectûs non prout pendet à causa efficiente, realiter existente, sed prout pendet à Bonitate Finis alliciente. Bruta, non agunt propriè, propter finem, quæ proportionem mediorum in ordine ad finem non agnoscunt; sed operantur ex instinctu naturæ, qui nihil aliud est, quam cognitio boni convenientis, vel disconvenientis, cum inclinatione ac determinatione appetitꝰ ad illud prose-

prosequendum, vel fugiendum. Hinc ex naturali instinctu Hirundines nidificant, eodē modo apes favos construunt: quòd si non semper eodem modo operentur, id in diversam organorū dispositionē, humorū naturalium, & specierum sensibilium apparatum refundi potest.

Exemplaris, seu Idæalis causa est forma, quam aliquid imitatur, ex intentione agentis determinantis sibi finem. DEUS omnia operatur secundùm Idæas suas: Similiter Angelus & Homo quando liberè & ex consilio, non casu & temere, vel naturali solùm actione operatur. Bruta, & res cæteræ animatæ, vel inanimatæ nunquam. Mentalis imago rei, quæ sub operationem, vel consilium cadere non potest, Idæa non est. Causativitas Idææ est imago obiectiva, ut imitabilis est. Causalitas est, ipsa causæ efficientis actio, prout pendet ab illa imagine, eam quodammodò dirigente & determinante. Idæam, quatenus effectum determinat, & illi quasi certam formam dat, ad causam formalem:

 quate-

quatenus effectum efficientis dirigit, ad Efficientem reducere potes; vel etiam ad Finalem: quatenus, cum fine in eo convenit, quod secundùm esse intentionale existendò causet.

CONCL. XX.

De corporis naturalis affectionibus.

De Motu.

DAri motum docuit Diogenes, qui dùm obambulans interrogaretur quid ageret? Respondit: *Salvo Argumento Zenonis*. Scilicet, negantis dari motum Definitur à Phylosopho Actus entis, in potentia, prout in potentia. Dicitur actus, Id est: forma, nempe non illa, quæ est terminus per motum acquisitus, qualis est forma substantialis; sed forma aliqua imperfecta, per modum viæ vel tendentiæ, per quam mobile actualiter tendit. Per Ly Entis in potentia, intellige mobile non

in po-

in potentia ad entitatem suam, cum illa jam existat: & sic amplius non sit potentia; sed ad entitatem formæ perfectæ acquirendæ, per quam perficiatur. Ly, prout in potentia innuit ad rationem motûs essentialiter requiri, ut subjectum ab intrinseco mobile, instanti immediatè antecedente motum fuerit privatum formâ. Est igitur motus transitus subjecti, à non esse, ad esse formæ in subjecto; qui proinde essentialiter involvit terminos à *Quo*, & ad *Quem*, Sine quibus nec esse, nec concipi potest.

CONCL. XXI.

De infinito.

INfinitum est, *Cujus semper est aliquid extra accipere.* Aliud Categorematicum constans partibus actu & determinatis, seu quòd habet innumeras partes æquales, cuilibet finitæ magnitudini, aut multitudini, ita existentes, ut aliquando verùm

 sit di-

sit dicere: Omnes existere, aut extitisse. Aliud Syncategorematicum, quòd habet partes non tot actu, quin plures in potentia; hoc est: ut accepta quacunque parte, aut partium collectione semper alia atque alia, in infinitum acceptibilis supersit. Unde Categorematicum absolutè infininitum est, syncategorematicum absolutè finitum, potentiâ infinitum: non quòd ex statu existentiæ objectivæ per ullum actũ transire possit in Categorematicum, sed quòd nunquam partium ejus acceptione actuali eo deveniri possit, ut nulla ampliùs sit acceptibilis.

A parte rei defactò, nullum datur infinitum Categorematicum creatum; Sed neq; per potentiam absolutam dabile est. Sicuti nulla finitâ additione, vel detractione, potest fieri infinitum ex finito, vel ex infinito finitum: aut infinitum habere terminos, figuram, partem primam vel ultimam; par, vel impar, aut medium. Si daretur corpus infinitum extensivè necessariò

fariò occuparet omnem locum: moveri non posset, adeòque non esset corpus naturale, si daretur processus in infinitum, quoad causas subordinatas & actu existentes, non daretur prima causa, seu primum movens. Denique, si daretur infinitum; pertransiri, vel ab alio infinito superari, seu esse illo non posset minus: nihil addi posset in eo genere, in quo est infinitum: Infinitum Angelorum, contineret quicquid in eo genere est possibile: nō possent esse duo simpliciter infinita, saltem in eodem genere v.g. in Angelis; ens simpliciter infinitum deberet esse indivisibile; nihil posset illi addi, vel detrahi; proinde ratio infiniti simpliciter non potest convenire, nisi Deo. Unde etiam consequens est, nec omnia distributivè possibilia, esse possibilia collectivè; nec Deum habere ullum potentiæ suæ objectum, nisi infinitum Syncategorematice; nec possibiles creaturas quas cognoscit actu, esse infinitas, sed tantum in infinitum finitas; &c.

nullam posse creari qualitatem infinitè perfectam, seu intensionis infinitæ: multo minùs creaturam infinite perfectam secundum essentiam, aut tam perfectæ naturæ quâ perfectior creari à Deo non possit consequenter creaturam omnium absolutè perfectissimam, numerum omnium maximum, quantitatem omnium maximam: collectionem creaturarum omnium possibilium, esse impossibilem.

CONCL. XXII.

De Quantitate & Continuo.

Quantitas *molis* est accidens realiter distinctum à substantia: non est subjectum aliorum accidentium: effectus formalis ejus non est tribuere extensionem *entitativam* partium in ordine

ad se,

ad se, quæ aliud non est, quam alicujus ex partibus compositi, ipsamet partium distinctio, per proprias suas entitates; neq; *Localem* sive in ordine ad locum; sed est tribuere extensionem partium in ordine ad se cum exigentia impenetrabilitatis; ad quam consequuntur reliquæ proprietates, physica divisibilitas, mensurabilitas sive activa, sive passiva. Quantitas *molis* omnis & sola est continua, permanens, non discreta, nec successiva. Continuum in genere, prout est quiddam unum ex partibus in infinitum divisibilib9; sic definit Philosophus: *Quantum*, inquit, *est* (nempe continuum, non discretum) quòd *est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumq; vel unumquodq; unum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Ubi *ly* aptum est esse unum quid, & hoc aliquid, innuit Partem, quamdiu inest Toti, tantùm esse partem, & ens incompletum, & aptitudine seu potentia tantùm Totum, & simpliciter *unum quid & hoc aliquid*, quibus vocibus significatur ens completum: cùm autem ex-

tra illud est, jam fieri totum & ens completum: adeoque per ampliationem tantum esse partem.

Partes continui aliæ sunt Æquales seu Aliquotæ, eo quod repetitæ aliquoties, exhauriant totum: aliæ proportionales, seu inæquales, communicātes inclusæ &c. Hæ ab illis adæquatè reipsâ non distinguuntur, sed inadæquatè, utpote earum medietates, & medietatum medietates & sic in infinitum. In partibus proportionalibus continui proinde nulla est prima vel ultima intrinsecè & positivè, hoc est, ut prior vel ulterior dari non possit in ea; non post eam, vel ante eam, quam primam vel ultimam assignaveris; quod est esse primam & ultimam extrinsecè & negativè. Supponit hæc definitio, continuum non componi ex *indivisibilibus*, quorum unum additum alteri non facit majus, nec extensum; nec elephantem majorem muscâ, nec Aquilam velociorem testudine, nec unum circulum majorem altero &c. facit præterea non omnem

lineam

lineam dividi in partes æquales posse: diagonalem in quadrato esse æqualem lateri: diametrum æqualem Semicirculo: basim trianguli duobus alijs simul lateribus æqualem &c. Vel saltem debebit punctum inflari virtualiter quo ad spatium in infinitum divisibile; quod est difficultatem non solvere, sed transferre ad spatij divisibilitatem in partes semper divisibiles. Quo admisso dolium ingens poterit impleri uno indivisibili vini, sicque exhauriri in instanti, non autem per partes. Item fieri Vestis ex unico panni indivisibili: unde aliquis tutus contra ictus ensium, & tormentorum foret &c. quæ sunt per se absurda.

Partes in continuo distinctionem actu realem habent: non ideo tamen faciunt numerum actu, ad quem requiritur divisio seu discretio ab invicem, de qua intelligendus est Philosophus cùm dicit in continuo non dari plura actu, sed solum potentiâ: proinde partes in continuo non sunt actu infinitæ, sed in infinitum finitæ;

nec

rijs eſt, non quaſi alicui rei extra mundum coëxiſtat formaliter, ſed quod per ſuam immenſitatem virtualiter æquivaleat omnibus ubicationibus poſſibilibus, & ſic quaſi virtualiter correſpondeat illis; formaliter verò, ſi producantur. Ita Deus præſens fit loco, in quo ante non erat per poſitionem loci: Sicut denominatur formaliter creator, poſitâ productione creaturæ. *Ubi* ſeu Locus intrinſecus, non eſt modus realiter diſtinctus, rei locatæ adveniens, per quem formaliter determinetur & conſtituatur in tali loco. Hoc ipſo præcisè qvod res alicui loco ſeu ſpatio ambienti coëxiſtat, intelligitur eſſe locata, ſeu eſſe hic, & non alibi, quemadmodum, ut ait Ariſtoteles, veſte inductâ corpori, hoc ipſo cenſetur veſtitum. Proinde res in loco formaliter conſtituitur, per ipſius coexiſtentiam ad talem locum: ad quam effectivè ſeu cauſaliter determinatur, vel per ipſius rei creationem, aut generationem, in tali loco, vel per motum localem ſeu poſitionem in eo loco. Duo-

bus

bus modis res esse in loco potest: Primò *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, & commensuretur; id est cum tota est in toto, & pars in parte loci, quod solum rei localiter extensæ convenit. Secundo *definitivè*, res in loco dicitur quando tota est in toto, & tota in qualibet parte loci; quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter; quod rebus spiritualibus, aut etiam corpori non extenso localiter, convenit; quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CONCL. XXIV.

De Replicatione & Penetratione.

R*Eplicatio* est existentia unius rei in pluribus locis: cui opponitur *Penetratio*, quæ est existentia plurium rerum

rum

rijs est, non quasi alicui rei extra mundum coëxistat formaliter, sed quod per suam immensitatem virtualiter æquivaleat omnibus ubicationibus possibilibus, & sic quasi virtualiter correspondeat illis; formaliter verò, si producantur. Ita Deus præsens fit loco, in quo ante non erat per positionem loci: Sicut denominatur formaliter creator, positâ productione creaturæ. *Ubi* seu Locus intrinsecus, non est modus realiter distinctus, rei locatæ adveniens, per quem formaliter determinetur & constituatur in tali loco. Hoc ipso præcisè qvod res alicui loco seu spatio ambienti coëxistat, intelligitur esse locata, seu esse hic, & non alibi, quemadmodum, ut ait Aristoteles, veste inductâ corpori, hoc ipso censetur vestitum. Proinde res in loco formaliter constituitur, per ipsius coexistentiam ad talem locum: ad quam effectivè seu causaliter determinatur, vel per ipsius rei creationem, aut generationem, in tali loco, vel per motum localem seu positionem in eo loco. Duo-

bus

bus modis res esse in loco potest: Primò *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, & commensuretur; id est cum tota est in toto, & pars in parte loci, quod solum rei localiter extensæ convenit. Secundo *definitivè*, res in loco dicitur quando tota est in toto, & tota in qualibet parte loci; quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter; quod rebus spiritualibus, aut etiam corpori non extenso localiter, convenit; quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CONCL. XXIV.

De Replicatione & Penetratione.

R*Eplicatio* est existentia unius rei in pluribus locis: cui opponitur *Penetratio*, quæ est existentia plurium rerum

rijs eſt, non quaſi alicui rei extra mundum coëxiſtat formaliter, ſed quod per ſuam immenſitatem virtualiter æquivaleat omnibus ubicationibus poſſibilibus, & ſic quaſi virtualiter correſpondeat illis; formaliter verò, ſi producantur. Ita Deus præſens fit loco, in quo ante non erat per poſitionem loci: Sicut denominatur formaliter creator, poſitâ productione creaturæ. *Vbi* ſeu Locus intrinſecus, non eſt modus realiter diſtinctus, rei locatæ adveniens, per quem formaliter determinetur & conſtituatur in tali loco. Hoc ipſo præcisè qvod res alicui loco ſeu ſpatio ambienti coëxiſtat, intelligitur eſſe locata, ſeu eſſe hic, & non alibi, quemadmodum, ut ait Ariſtoteles, veſte inductâ corpori, hoc ipſo cenſetur veſtitum. Proinde res in loco formaliter conſtituitur, per ipſius coexiſtentiam ad talem locum: ad quam effectivè ſeu cauſaliter determinatur, vel per ipſius rei creationem, aut generationem, in tali loco, vel per motum localem ſeu poſitionem in eo loco. Duobus

bus modis res esse in loco potest: Primò *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, & commensuretur; id est cum tota est in toto, & pars in parte loci, quod solum rei localiter extensæ convenit. Secundo *definitivè*, res in loco dicitur quando tota est in toto, & tota in qualibet parte loci; quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter; quod rebus spiritualibus, aut etiam corpori non extenso localiter, convenit; quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CONCL. XXIV.

De Replicatione & Penetratione.

R*Eplicatio* est existentia unius rei in pluribus locis: cui opponitur *Penetratio*, quæ est existentia plurium re-

rum

rijs eſt, non quaſi alicui rei extra mundum coëxiſtat formaliter, ſed quod per ſuam immenſitatem virtualiter æquivaleat omnibus ubicationibus poſſibilibus, & ſic quaſi virtualiter correſpondeat illis; formaliter verò, ſi producantur. Ita Deus præſens fit loco, in quo ante non erat per poſitionem loci: Sicut denominatur formaliter creator, poſitâ productione creaturæ. *Ubi* ſeu Locus intrinſecus, non eſt modus realiter diſtinctus, rei locatæ adveniens, per quem formaliter determinetur & conſtituatur in tali loco. Hoc ipſo præcisè qvod res alicui loco ſeu ſpatio ambienti coëxiſtat, intelligitur eſſe locata, ſeu eſſe hic, & non alibi, quemadmodum, ut ait Ariſtoteles, veſte inductâ corpori, hoc ipſo cenſetur veſtitum. Proinde res in loco formaliter conſtituitur, per ipſius coexiſtentiam ad talem locum: ad quam effectivè ſeu cauſaliter determinatur, vel per ipſius rei creationem, aut generationem, in tali loco, vel per motum localem ſeu poſitionem in eo loco. Duo-

bus

bus modis res esse in loco potest: Primò *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, & commensuretur; id est cum tota est in toto, & pars in parte loci, quod solum rei localiter extensæ convenit. Secundo *definitivè*, res in loco dicitur quando tota est in toto, & tota in qualibet parte loci; quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter; quod rebus spiritualibus, aut etiam corpori non extenso localiter, convenit; quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CONCL. XXIV.

De Replicatione & Penetratione.

R*Eplicatio* est existentia unius rei in pluribus locis: cui opponitur *Penetratio*, quæ est existentia plurium re-

rum

tra illud est, jam fieri totum & ens completum: adeoque per ampliationem tantum esse partem.

Partes continui aliæ sunt Æquales seu Aliquotæ, eo quod repetitæ aliquoties, exhauriant totum: aliæ proportionales, seu inæquales, communicates inclusæ &c. Hæ ab illis adæquatè reipsâ non distinguuntur, sed inadæquatè, utpote earum medietates, & medietatum medietates & sic in infinitum. In partibus proportionalibus continui proinde nulla est prima vel ultima intrinsecè & positivè, hoc est, ut prior vel ulterior dari non possit in ea; non post eam, vel ante eam, quam primam vel ultimam assignaveris; quod est esse primam & ultimam extrinsecè & negativè. Supponit hæc definitio, continuum non componi ex *indivisibilibus*, quorum unum additum alteri non facit majus, nec extensum; nec elephantem majorem muscâ, nec Aquilam velociorem testudine, nec unum circulum majorem altero &c. facit præterea non omnem

lineam

lineam dividi in partes æquales posse: diagonalem in quadrato esse æqualem lateri: diametrum æqualem Semicirculo: basim trianguli duobus alijs simul lateribus æqualem &c. Vel saltem debebit punctum inflari virtualiter quo ad spatium in infinitum divisibile; quod est difficultatem non solvere, sed transferre ad spatij divisibilitatem in partes semper divisibiles. Quo admisso dolium ingens poterit impleri uno indivisibili vini, sicque exhauriri in instanti, non autem per partes. Item fieri Vestis ex unico panni indivisibili: unde aliquis tutus contra ictus ensium,& tormentorum foret &c. quæ sunt per se absurda.

Partes in continuo distinctionem actu realem habent: non ideo tamen faciunt numerum actu, ad quem requiritur divisio seu discretio ab invicem, de qua intelligendus est Philosophus cùm dicit in continuo non dari plura actu, sed solum potentiâ: proinde partes in continuo non sunt actu infinitæ, sed in infinitum finitæ:

nec

nec extensionem faciunt infinitam; aut quæ non possit à mobili decurri per spatium temporis finiti &c.

CONCL. XXIII.

De Loco.

Locus est Superficies prima corporis continentis immobilis: qui proinde non solum continere debet locatum, veluti vas aquam, aut vestis hominem, quæ transferri alio possunt, unà cum locato, sed debet esse immobilis, hoc est eandem servet distantiam à centro universi, & alijs mundi partibus sive existentibus sive possibilibus. Hinc tametsi totum inter Cassoviam & Tyrnaviam tolleretur spatium in Loco tamen sum: præterea licet nihil in mundo sit immobile quo ad entitatem, est tamen immobile quoad modum, sea

formalitatem distantiæ, vel indistantiæ. Qui æqualiter distat à centro mundi, vel verticalis puncto Zenith & Nadir, potest mutare locum, licet non mutet distantiã ad centrum mundi, vel puncta verticalis. Locus extrinsecus semper est discontinu^s^ à locato: hinc quæ insunt continuo, non ei insunt veluti loco, sed veluti Toti in Loco. Nec Sangvis Christi sub speciebus Vini est in Loco respectu specierum, sed respectu calicis: Cœlum Empyreum non est in Loco extrinseco, secundùm superficiem convexam &c.

Spatium imaginarium non est ens negativum, sive non spatium, quod nobis instar alicujus Capacitatis sive spatij realis Cœlis undique ac in infinitum circumfusi imaginamur. Sed est possibilium corporum possibilis quædam extensio in ordine ad se; quæ cum non sit à parte rei, est objectivè tantum in intellectu, sicut corpora possibilia. Unde sicut res possibiles sunt ab æterno, ita spatium imaginarium. Existere proinde Deum in spatijs imaginarijs

rijs est, non quasi alicui rei extra mundum coëxistat formaliter, sed quod per suam immensitatem virtualiter æquivaleat omnibus ubicationibus possibilibus, & sic quasi virtualiter correspondeat illis; formaliter verò, si producantur. Ita Deus præsens fit loco, in quo ante non erat per positionem loci: Sicut denominatur formaliter creator, positâ productione creaturæ. *Ubi* seu Locus intrinsecus; non est modus realiter distinctus, rei locatæ adveniens, per quem formaliter determinetur & constituatur in tali loco. Hoc ipso præcisè qvod res alicui loco seu spatio ambienti coëxistat, intelligitur esse locata, seu esse hic, & non alibi, quemadmodum, ut ait Aristoteles, veste inductâ corpori, hoc ipso censetur vestitum. Proinde res in loco formaliter constituitur, per ipsius coexistentiam ad talem locum: ad quam effectivè seu causaliter determinatur, vel per ipsius rei creationem, aut generationem, in tali loco, vel per motum localem seu positionem in eo loco. Duobus

bus modis res esse in loco potest: Primò *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, & commensuretur; id est cum tota est in toto, & pars in parte loci, quod solum rei localiter extensæ convenit. Secundo *definitivè*, res in loco dicitur quando tota est in toto, & tota in qualibet parte loci; quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter; quod rebus spiritualibus, aut etiam corpori non extenso localiter, convenit; quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CONCL. XXIV.

De Replicatione & Penetratione.

Replicatio est existentia unius rei in pluribus locis: cui opponitur *Penetratio*, quæ est existentia plurium rerum

rum in eodem loco. Certum autem est, naturaliter nec duo corpora unum locum, nec unum corpus duo loca occupare simul posse; hoc propter corporis finiti limitationem; illud propter quantitatis exigentiam. Quin autem supernaturaliter unum idemque corpus, non solum definitivè, verùm etiam circumscriptivè esse possit in duobus locis adæquatis, nulla est implicantia, aut ratio negandi Sic habemus ex sacris literis Christum Dominũ, cænaculum fuisse ingressum januis clausis, sic prodijsse virginali ex utero, & clauso è sepulchro, & in eo positum est subtilitatis donum, quo Beatorum prædita sunt corpora. Sic idem Christus Dominus in Cœlo existens apparuit nihilominus S. Paulo Damascum proficiscenti, adeoque tunc simul erat in duobus locis.

Replicato corpore non replicantur accidentia dependentia à Loco, item à caussa vel objecto extrinseco. Non dependentia verò per naturalem quandam concomitantiam & sequelam ordinariè repli-

plicantur; licet contrarium extraordinarie fieri possit. Linguam Ungaricam audiens Cassoviæ Franciscus, eam Patakini non audiet, licet utrobique existens eam calleat; quod si eandem audiret, daretur actio in distans, cujus causa sit Cassoviæ, effectus Patakini, nullâ actione continuatâ per medium. Sed superest quæstio; cur res non possit esse in duobus temporibus simul, sicut in duobus locis? causam damus: quòd simul existere non possint, nec permanere diversa tempora; possint verò permanere diversa loca.

Ex prædictis varia deducuntur. 1. Corpus sic replicatum esse virtualiter seu æquivalenter multiplex, etsi formaliter sit unum & idem: consequenter rem replicatam tot sibi similibus æquivalere, quoties replicatur. 2. Guttam replicatam, ita ut flumen æquet, posse ferre navigia, latè regiones inundare, obvia quæque mergere. 3. Panem sæpius replicatum posse exercitui pascendo sufficere. 4. Granum papaveris replicatum montem Æthnæ majo-

majorem effecturum. 5. Ex uno homine multoties replicato fieri posse exercitum: imò ex uno milite duos exercitus, qui si congrediantur, idem miles hic vincere, ibi vinci, hic vivere ibi occidi poterit: animis concidente uno homine decies millies ad instar exercitûs replicato, totum ruiturum exercitum. 6. Idem moveri contrarijs motibus: idemque sibi ipsi, tum ex oriente, tum ex occidente occurrere: posse in uno loco quiescere in alio moveri; corpus palmare posse occupare mille palmos loci, & adhuc fore æquale suo loco palmari adæquato. 7. Consequentiam illam Mat: Ult: *non est hic surrexit enim:* optimam esse de naturali, non de absoluta potentia loquendo, qua nimirum poterat esse ibi, & alibi simul. 7. Si Christus tempore passionis fuisset sub consecratis speciebus, quatenus sub illis existebat, non fuisse flagellandum, crucifigendum, nec dolorem sensurum, nec moriturum. Eum verò, qui tempore passionis consecrâsset panem & vinum

sub

sub hujus speciebus positurum fuisse solum Christi sanguinem, sub illius, Corpus tantum.

Cùm autem cantharus cineribùs plenus tantundem bibit aquæ, quantum cineribus vacuus, ne existimes dari hic naturaliter corporum duorum penetrationem: multò minùs cum Scyphus aquâ, vel vino plenus plurimum aureorum devorat, sine liquoris effusione &c. Supernaturalis verò corporum penetratio non impediret, quin potiùs juvaret, tam ad agendum, quàm patiendum, sive inter se, sive ad extra. Unde sequitur gallinam à vulpe, si invicem penetrentur, minimè tutam fore; &c.

CONCL. XXV.

De Vacuo.

VAcuum definitur ab Arist. *locus carens corpore.* Subintelligunt Interpretes, *aptus tamen repleri.* Loquitur autem Philoso-

losophus non de vacuo Rustico, vel Cauponario, canthari, vitri, bursæ &c. quæ semper physicè plena sunt, neque de spatio imaginario extra cælos, quod nulla superficie Corporis continentis includitur: Naturaliter dari ullâ vi creatâ, non potest. Cur autem Natura tantopere horreat vacuum, in causa est Conservatio Universi, quæ consistere non potest sine ordine, unione, contiguitate, ita ut nullum vacuum intercedat. Vacuo unius digiti admisso, cessaret superiorum corporum in hæc inferiora influxus, & actio. Dum metu vacui Levia deorsum, gravia sursum sequuntur ductum, se, corpusque quod proximè contingunt, trahentis, faciunt id peculiari vi resistitiva, per quam in periculo vacui ita cohærent, ac si conglutinata, & unum quid essent. Hinc in trahenda aqua per tubum à trahente magna sentitur difficultas, non quia trahitur baccillus tantùm, sed etiam aqua contigua, ut succedat in locum baccilli. Nihil repugnat fieri à Deo vacuum v. g. conser-
vare

vare cælum & terram, annihilatis corporibus intermedijs: neque etiam ab homine, vel Angelo per vim supernaturalem fieri aliquod vacuum repugnat. Quod si daretur in eo vivere quis non posset; neque ibi videretur, aut audiretur quidquam; fax accensa nullum ex se lumen diffunderet, quin etiam quamvis ex pleno in vacuum tormenta exploderentur, ipsum tamen vacuum emissi globi nequaquam pervadarent; consisterentque ad extremas partes pleni. Naturaliter tamen in vacuo fieri motus posset, si novi vacui periculum absit, ad Motum requisita adsint; sic ab Angelo posset lapis ab uno extremo ad alterum, si neutrum prius attigerit, transportari, imò ab homine manus in vacuo existens girari; tormentum tamen bellicum in vacuo explodi non posset, nec ab homine os aperiri, vox formari, manus complicatæ explicari, pedes à pavimento tolli, lapis proijci, quod posterius posset Angelus, sicut & eo sustentante, ambulare homo.

CONCL. XXVI.

De Tempore.

TEmpus est numerus, seu mensura motûs, secundùm prius, & posterius: id est, numerus non actualis & discretus, pro ut continuo opponitur, sed potentialis, qui scilicet mensurabilis sit, & juxta quem aliæ, quoad suam durationem mensurari possint. Ac proinde tempus est quantitas quædam successiva, cujus partes non existant, nisi in fluxu continuo, præteritæ, præsentes, & futuræ. Aliud est tempus extrinsecum, scilicet mensura motus successivi, juxta quem aliæ rerum durationes mensurantur; qui si realis, reale; si possibilis, tempus dicitur imaginarium. Aliud intrinsecum, ipsa scilicet rei duratio, seu coexistentia ad tempus extrinsecum, quæ est ratio formalis, per quam res est nunc, tunc, semper &c. Indistincta ab existentia rei durantis in Recto, & temporis extrinseci realis, vel imaginarij

ginarij in obliquo. Res proinde durans est subjectum denominationis respectu durationis, sicut entitas filij respectu filiationis.

CONCL. XXVII.

De Inceptione & & desitione.

INitium durationis Inceptio, finis desitio dicitur. Duo autem sunt modi, quibus res incipiunt & desinunt; *intrinsecè* scilicet & *extrinsecè*. Ac primo quidem omnes res successivæ ut motus, tempus &c. incipiunt extrinsece, seu negativè per ultimum suum non esse; quatenus verum est dicere: *nunc ultimò non est v. g. motus, aut tempus, sed immediatè postea erit*: Et desinunt etiam extrinsecè, per primum suum non esse; quatenus verum est dicere: nunc primo non est v. g. motus aut tempus, immediate antea erat. Entia verò permanentia, & quæcunque Totum esse suum

M 5 habent

habent simul, incipium intrinsecè, per primum suum esse, & desinunt quoque intrinsecè, per ultimum suum esse; ita ut verè dixeris: *nunc primò res est, immediatè ante non erat;* item: *ultimò res est, immediatè post non erit.* Dici etiam posset, quod res permanens desinat extrinsecè: cùm una mutatio instantanea succedit alteri immediatè; quomodo in generatione substantiali dicimus: *primum non esse privationis, est primum esse formæ genitæ.*

CONCL. XXVIII.

De Mundo.

FUit quidem liberum Deo, creare mundum priùs & priùs in infinitum: nulla tamen permanens res creata potuit existere ab æterno, multo minus successiva; ut motus & tempus Quæ essentialiter dicunt prius & posterius, quæ ab æterno esse non possunt: In principio itaque creavit Deus Cælum & Terram, hoc est,

ut loquitur Conc. Lateran. utramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam & Mundanam, sive spiritualem & corporeã: nempe Cælum Empyreum, & reliquos, Ætherem, Aërem: item Aquam & Terram, atque in his materiam omnem. Nam hæc omnia Cæli & Terræ nomine veniũt. Atque ita *qui vivit in æternum creavit omnia simul* (nempe quæ propriè creari dicuntur) exceptâ animâ rationali. Et sic Tempus incepit, atque adeo *antequam* inciperet non erat. Ly *ante* significat tempus non quod extitit, sed imaginarium sicut cum dicimus: *extra Mundum* nihil esse: ly *extra* significat spatium imaginarium. Hinc Deus non expectavit ab æterno tempore infinito creationem mundi, cùm non esset tempus, quo expectaret. Sol ex hypothesi impossibili, si esset ab æterno; produceret lumen æternum, sicut si chymæra esset animal, esset vivens &c. Æternitas proinde simpliciter dicta est attributum DEI proprium, sicut infinitas, creaturis incommunicabile: quamobrẽ

in causa efficiente creata sufficit prioritas naturæ ad effectum; at in increata necessaria est prioritas æternitatis, pro qua non sit possibilis ullus effectus.

At quo anni tempore Mundus est productus? Ex Concilio Palæstino patet productum in Æquinoctio verno. Nec maturi fructus in Paradyso probant Autumnum, sicut nec vestes pelliceæ protoplastorum Hyemem. Certum autem est diem conditi orbis fuisse Dominicum de quo dicitur: *Factum est vespere, & mane dies unus*: quem proinde præcessit nox, seu primæ mundi tenebræ super faciem Abyssi horarum 12. Initium igitur diei primæ mundi fuit in oriente Æquinoctiali Palestinæ hora 6. quo tempore Cassoviæ in Ungaria adhuc erant tenebræ una hora & m. 40. Quamdiu autem jam duraverit Mundus, aut quæ illius sit ætas, non omninò compertum est. Recentiores Chronologi, qui rem accuratiùs discusserunt, durationem Mundi ad Christi natalem usque, annorum Solarium circiter

4000.

4000. censent, quibus si annos à Christo nato 1665. addideris totam mundi ætatem deprehendes annorum 5665. Cæterùm fide nobis constat defacto unum esse Mundum; de quo dicitur Gen. 1. vidit Deus *cuncta* quæ fecerat: cumque perfectum, cui nihil desit ad finem suum naturalem, qui est gloriæ divinæ manifestatio. Atque ideo est figuræ rotundæ, utpote omnium perfectissimæ, adeoque capacissimæ, consequenter ad finem intrinsecum mundi, qui est ut omnia contineat intra se aptissimæ.

CONCL. XXIX.

De Cælo.

INter illa sublimia Mundi corpora Philosopho primum se offert Cælum Sydereum, quod esse corpus compositum ex materia ejusdem speciei cum sublunaribus, adeoque alterationibus subjectum & corruptibile esse, certius est: imò nihil a-

liud esse quàm Ætherem seu Ignem elementarem, adeoque liquidum seu fluidum in quo Astra omnia fluitant, velut in mari pisces, in aëre aves. Quodnam autem Cælum, aut unde dicitur Firmamentum? Alij hanc denominationem soli Sydereo tribuunt, alij Aereo: nos utrique. De Sydereo nemo litem movet. Aereo nomen Firmamenti non repugnat, quasi hoc videatur propriè significare corpus solidum densum durum ad instar crystalli; cum vox Hebræa Rakiah, vel tantùm significet extensionem, expansionem, aut effusionem, quæ in Aëre proprijssimè reperitur; vel certè sit vox ambigua, quæ utramque significationem recipiat.

Ergo & Aquæ super cælestes dici possunt Aquæ nubium; juxta illud: Fiat Firmamentum in medio Aquarum. Non ergo Cæli moventur, nisi eo modo, quo aër concitatur, cùm in eo aves volitant. Ergo Astra sunt quæ videmus ab Oriente in Occidentem vergere. Astra igitur non moventur motu duplici, Raptûs & Proprio.

Sed unico, ab ortu ad occasum,
lum versus Septemtrionem, vel Au
quotidie deflectente, adeoque spira-
ue ab extrinsecis motricibus Intelli-
s, seu Angelis, qui portant orbem
n Job. 9.
tisimilius itaq; est, & Scripturæ con-
us, plures quàm tres Cælos distin-
non esse necesse: Aëreum scilicet,
eum & Empyreum.

CONCL. XXX.

De Astris.

Astra seu Stellas nihil aliud intel-
gimus, quàm densiora quædam ac lu-
a in Cælo corpora, quorum mun
criminare tempora, & varios causa-
ctus. De his quo ad materiam ea-
est ratio, quæ de cælo; quoad for-
alij astra faciunt ejusdem speciei
Cælo; ut proinde nihil aliud sint,
densiores sui Cæli partes: sed op-

 pos-

positum videtur verius, nimirum Astra tam à Cælo. quàm inter se, si non omnia, pleraque certè essentiali specie differre, ob Accidentia, & Virtutes agendi longè diversissimas, dum alia exsiccant, alia humectant, alia maris æstum concitant, alia magneticas Acus ad se convertunt: nimbosus Orion, ventosæ Hyades, pluviæ Plejades &c.

Generalissima divisio syderum est, in Fixa, & Errantia. Inter fixa numeratur Galaxia, seu Via lactea, quæ Tubi optici beneficio observata est nihil aliud esse, quàm infinitarum propè stellularum congeries, quæ propter suam parvitatem libero oculo conspici non possunt, sed confusum vel Albicans lumen apparent. Sed & aliorum numerus astrorum pene est innumerabilis juxta illud: *Numera stellas si potes.* Astronomi tametsi absque Telescopio 1022. numerent stellas fixas, absolutè tamen plurium latet stellarum, intra firmamenti expansum, multitudo, ceu pisces in maris profundo, quarum plurimas

opo

ope Telescopij deprehenduntur, plures à terra videri non possunt.

Dubitatur hic quibusnam stellis annumerandæ sint illæ novæ, & inusitatæ, quarum 1. teste Plin. deprehensa est ab Hypparcho 125. annis ante Christum natum. 2. tempore Adriani Imperatoris. 3. Ætate Othonis Primi. 4. Anno 1264. 5. Anno 1542. 6. Anno 1572. omnes quatuor in Cassiopea. 7. in pectore Cygni, quæ ab anno 1600. usque ad 20. duravit. 8. in Serpentario Anno 1604. 9. denique tametsi non totaliter nova videatur, tamen aliquid habuit novitatis, dum nimirum ea, quæ est septima Plejadum, ante excidium Trojæ, cæteris lucidior apparuisse dicitur. Probabilius videtur eas non inter fixas, sed Erraticas numerandas, oririque ex concursu plurium Errantium, propter suam parvitatem seorsim inaspectabilium, ex quarum deinde varia digressione, rursus illæ novæ stellæ aut omninò dispareant, aut in sua magnitudine paulatim decrescant.

Dubitatur II. An etiam Cometa sit inter sidera numerandus, an verò tantùm sit accensa quædam exhalatio pinguior infra Lunam existens. Dicimus Cometas cœlestes (quales plerosque fuisse, non modò suadet communis Recentiorum Astronomorum consensus, & veterum plurimorum authoritas, sed etiam Ratio ipsa Parallaxis evincit) nihil aliud videri, quàm plurium stellarum in regione Planetaria volitantium congeriem, quæ seorsim conspici nequeant: si tamen plures confluant, apparebit Cometa, si diffluant, disparebit. Constans verò est sententia caudatum illorum syrma oriri, ex transfusione radiorum solarium: unde caudam suam in aversam à Sole partem vibrare animadversi sunt.

Quanta sit magnitudo stellarum sciri non potest, cùm non omnes in eadem sint Firmamenti superficie, nec eandem à terra habeant distantiam, de qua, sicut & de crassitie Firmamenti non constat. Probabile tamen est infimam stellam fixam, à

cen-

centro terræ 14000. semidiametris terræ distare, & stellam primæ magnitudinis terram continere 100. vel 90. circiter. Verò simile etiam est, omnes stellas Firmamenti, in peculiaribus sibi circulis, non secùs ac Planetas volvi, insensibilibus tamen, ob distantiam excessivam, quo sit ut neque situm, neque distantiam mutare videantur.

Celeritas Motus cælestis est admiranda maximè in stellis Fixis: quarum distantiâ à terra, si cum Recentiorum communi supponamus esse 14000. semid. terræ, tunc quælibet in Æquatore constituta singulis horis conficiet 3152000. mill. germ. numerando pro mill. germ. 4000. passus, seu 4. mill. Ital. Et si teste Gardano, in Homine temperatæ naturæ, quater mille ictus pulsantis Arteriæ, unam horam circiter complent; in quolibet pulsûs ictu, sive in momento quasi, aut tempore prorsus insensibili, talis stella 788. mill. german. conficit. Sol verò singulis horis conficit plusquàm undecies centena millia milliarium;

rium; adeoque longè plus, quàm globus æneus tormento excuſſus, quinque millibus horarum perficeret.

Quatuor communiter motus obſervantur in Aſtris: primus eſt *diurnus* ab ortu in occaſum. Secundis *proprius* ab occaſu in ortum, ſeu potiùs à partibus occidentalibus ad orientales, apparenter magis, quàm verè retrogradus. Tertius motus *trepidationis*, ſeu librationis primæ à Septemtrione ad Auſtrum & è contra, per ſpatium 24. minutorum. Quartus motus librationis ſecundæ, ab Oriente in Occidentem, & è conta per modicum intervallum. Sed omnes quatuor per motum unicum, ſed mixtum, & certo modo ſpiralem ſingulis planetis, & ſtellis fixis, imò & Cometis (quod in hujus anni Cometa obſervatum fuit) convenientem, ſecundùm varias rationes formales ſpectatum explicari poteſt. I. in quantum eſt gyratio Aſtri diurna circa Terram. II. in quantum iſta gyratio ſpiralis intra certum tempus ita attemperatur, ut alium quendam

circa-

circulum designet circa Solem, aut aliud centrum, quem circulum, si Planeta, aut alia quælibet stella integrum absolverit, propriam suam perjodum, ac Revolutionem absolvisse dicetur. Et in hoc sensu receptus jam & communis Magnorum Astronomorum consensus habet, Planetas circa Solem, tanquam centrum moveri. III. in quantum hæ spiræ necessariò ab Æquatore, vel Ecliptica plus minusve recedunt in Austrum vel Boream: & hoc modo consideratus dicetur Motus Trepidationis &c.

Ex observato Astrorum motu, eorundem à Terra distantiam Maximam & Minimam Recentiores hanc assignant.

☽ Maxima. 61. Minima 52.		Semidiam. Terræ, qualis semidiameter habet 860.
☉ Maxima. 1183. Minima. 1101.		
☿ Maxima. 1604. Minima. 796.		
♀ Maxima 2430. Minima. [illegible] 384.		

♂ Ma-

♂ Maxima 3100. Min. 402. juxta alios 729.	}	Semidiam. Terræ, qualis Semidiameter habet 860. mill. germ.
♃ Max: 7459. Minima 4545.		
♄ Max. 12332. Min. 8768.		
Fixarum distantia 14000.		

Ex quibus sequitur: Planetas in Apogæo (Arabes vocant Augem, latini summam Absidem) hoc est, in puncto sui circuli à Terra remotissimo constitutos, hunc ordinem servare, ut primum seu infimum locum habeat Luna, sequatur Sol, Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, Saturnus. In Perigeo verò, seu puncto sui circuli Terræ proximo (quod Arabes oppositum Augis, latini imam Absidem appellant) hoc ordine locari: ut Luna itidem sit infima, deinde Venus, Mars, Mercurius, Sol, Jupiter, Saturnus.

Habitâ distantiâ Syderis, facilè innotescit ejusdem Magnitudo; si nimirum per Radium vel aliter observetur illius diameter. Sic si diameter v. g. Cometæ sit mill. germ. 175. Diameter autem Circuli

culi ad Peripheriam proximè se habeat ut 7. ad 22. colligitur inde magnitudo seu ambitus Cometæ 500. mill. germ. minor terrâ nongenties & quinquagies, Lunâ verò bis & vicies, eò quòd Lunæ diameter. 495. Terræ autem 1720. milliaria contineat.

Hinc Magnitudo Syderum juxta probabiliorem est hæc: ut nimirum quatuor Planetæ sint ipsâ Terrâ minores. Luna 40. Mercurius 19. Venus 6. Mars 13. (quamvis de hoc alij aliter) Reliqui tres sint ipsa Terrâ majores Sol 140. Jupiter 14. Saturnus 22. Ad Fixa quod attinet, ea quæ sunt primæ Classis seu Magnitudinis v. g. in Zodiaco, Oculus Tauri, Cor Leonis, spica Virginis &c. Sunt Terrâ majores 70. secundæ 28. Tertiæ 11. Quartæ 3 & med. quintæ 1. & med. Sextæ classis 1.

Figuram Sphæricam Astris inesse probat ubique & ab omnibus sive libero oculo, sive Tubo per intromissionem specierum, constans figura circularis, quæ à sola sphæra ubique in oculum incurrente projicitur,

jicitur, ut optici demonstrant. Rectè autem à plerisque Sol appellatur Fons Lucis, cui non tantum Planetæ, sed etiam Fixæ lucem omnem acceptam referre debent. Probabilius præterea videtur omnes globos cælestes, mixtos ex humido & solido quatuor elementorum esse: v.g. solem ex igne liquido, & terreo solido. Lunam ex Aquea & terrestri substantia &c. adeoque præter primas qualitates, etiam secundas, levitatem, gravitatem, mollitiem, duritiem, rarefactionem condensationem in globis cælestibus dari: ex quibus suo modo, ipsis conformes meteorologicæ impressiones necessariò consequuntur. Ex his consequens est Solis & astrorum corpora esse heterogenea: sicut globus Terraqueus: proinde calefacere & frigefacere, exsiccare humectare, ac secundùm diversas partes diversas habere influentias: sicut Magnes, cujus vis attractiva ferri potissimùm in polis est, in reliquis partibus tantò remissior, quantò à polis remotior. Cùm itaque corpus solare

lere v. g. profundissimum sit, ejusque semidiameter ad 10. millia horariarum leucarum excurrat, interiorem totius compagis structuram alijs & alijs corporibus, qualitatibusque imbutam esse necesse est. Hinc probabile est maculas Lunæ seu partes minùs illustres esse aqueas, magis verò illustratas terreas, sic etiam cum ex altissimis montibus Terra & Aqua conspiciuntur, sole lucente, hæc minùs, illa magis illustrior apparet: dum partes rariores, propter transparentiam lumen solis admittunt quidem, sed non sistunt. Sic in albo pariete foramina & fenestellæ obscurius illuminantur. Idem de maculis solaribus dici potest, quòd sint Solis quædam partes minùs lucescentes, quàm aliæ, quæ cùm minimùm lucent videntur nigricare; cùm lucent mediocriter videntur rubere, cùm demum lucent maximè, candicare videntur. Sed cur eædem partes ab initio parum lucent, dein mediocriter, demum æqualiter ac aliæ partes globi solaris? fortè quia mutantur secun-

dùm

dùm raritatem & densitatem. Hinc etiam una aliquando resolvitur in plures, & plures subinde coalescunt in unam majorem &c.

Si unus idemque est motus syderis, cur non unus diversis partibus diei vel anni causatur effectus? an quia cum alia & alia applicentur inferioribus sydera, quæ diversas habent influentias, alium & alium ad inferiora situm acquirit sydus & pro subjecti cujusvis natura, diversos effectus producit in diversis mundi climatib' alios & alios? Hinc non idem statis temporibus, tempestatum tenor: hinc æstates frigidæ, hyemes calidæ &c. Hinc astra in conjunctione & oppositione plus possunt; cùm nullæ sunt aspectuum configurationes, maximè quietum aërem experimur, in quadrato mediocriter malum, in trino & sextili magis benignum. At unde ijsdem annis morbi? an dicendum altissimum Planetarum Saturnum idem facere intra 7. annos, quod Luna intra 7. dies: adeoque sicut illa per hebdomadas,

nadas, novasque quadraturas, mutat
empora, ciet ventos, pluvias, tempesta-
es, morbos; ita Saturnus, naturâ malefi-
us, cùm per septennia ferè quartam sui
cursus partem conficit, morbos parit, cum
præsertim cardines figuræ nativitatis pre-
mit, aut in Ascendente existens, aut illi
oppositus, aut quadratus? observatum e-
nim est annis Climactericis, Saturno sic
stante, multos aut mortuos, aut vehemen-
ter ægrotâsse.

Et vero similius est, Climactericos ad
superstitionem numerorum nō pertinere,
sed ad naturam, DEI imperio, ubique
numerosè agentem. Sic dies naturalis 24.
horis conficitur: æstus marini tardiùs
quotidie tribus horæ quadrantibus, cum
tribus minutis redeunt, febris statis die-
rum numeris recurrunt &c.

Astrologia proinde in rerum natura
est, sed Astrologus nullus invenitur, qui
certis temporum momentis, citatas assi-
gnet pluvias, grandines, & tonitrua. Ma-
gnum est, si paratas in hæc dispositiones
præ-

prævideat, & si prævisa sequantur sæpiùs, multum est. Multo minus habent soliditatis Judiciarij circa actiones futuras ab humana voluntate dependentes, belli eventus, &c. quarum nulla est ab astris dependentia, nisi indirectè, in quantum temperamentum hominis, à stellarum influxu dependet, temperamentum sequitur propensio, propensionem communiter operatio, liberè tamen.

CONCL. XXXI.

De Mundo Elementari.

MUndus præter cælestem, Elementari quoque regione constat; quæ à centro terræ ad concavum Lunæ quinquaginta duabus semidiametris terræ constat. Elementum definitur: *est corpus simplex*, ex quo

ex quo fiunt alia: seu, in quod alia resolvuntur, ipsum autem non resolvitur in alia simpliciora corpora. Dicitur *corpus simplex* respectivè ad Mixtum, quod componitur ex Elementis: esto sit compositum ex materia & forma, non secus ac ipsa mixta ac proinde corruptibile, invicem transmutabile &c.

Quatuor sunt Elementa: Terra, Aqua, Aër, Ignis; in quæ omnia Mixta resolvuntur: e.g. animal in partes terreas solidas & siccas, humores aqueos & fluidos, partes aereas & spirituosas igneas.

Singulis convenit una qualitas in summo, alia in gradu intenso, seu ultra quartum: Terræ summa siccitas, & intensa frigiditas. Aquæ summa frigiditas, & intensa humiditas. Aëri summa humiditas, & intensa caliditas. Igni summa caliditas & intensa siccitas. Differentia itaque inter Mixta & Elementa est, quòd mixtis conveniant omnes qualitates cum admissione contrarij, elementis convenit una sine contrarij admixtione. Hinc unicui-

que Elemento est proximum alterum ele-
mentum, cum quo convenit in qualitate
non summa, differt in alia; unde alia di-
cuntur symbola, alia Asymbola.

CONCL. XXXII.

De Primis Qualita-tibus.

Sicut Elementa, ita primæ eorum quali-
tates definiuntur, quæ neque ex se mu-
tuò, neque ex alijs, sed ex ipsis oriuntur
cæteræ. Sic calor non oritur effectivè à
siccitate & sic de cæteris. Quod si inter-
dum siccitas à calore, vel etiam frigore
proveniat, ut in panno madido Soli vel
frigori exposito, id fit per accidens: qua-
tenus vi caloris vapores humidi extrahun-
tur, vel humidi partes resolvuntur, quo
faciliùs contraria siccitas penetret: vel
quatenus vi frigoris pulso calore constri-
cta corpora humidas partes egerunt.
Quare

Quare probabilius est dictas qualitates realiter à substantia, & à se invicem differre. Ex his itaque oriuntur cæteræ corporum sublunarium propriæ qualitates sensibiles, alterativæ, corruptivæ, seu contraria positivè habentes, aut in subjectis generationem & corruptionem causantes, sive effectivè sive dispositivè. Lumen, species impulsus nec inter primas, nec secundas numerantur qualitates. Vis autem Magnetis Succini &c. vel à certo primarum qualitatum temperamento non distinguitur, vel præsupponit primas, ceu dispositiones in subjecto in quo producuntur.

Calor definitur in concreto, quod congregat homogenea, & disgregat heterogenea. Frigus, quod congregat homogenea simul & heterogenea; Homogenea, inquam, & Heterogenea, seu similia & diversa, non in substantia, sed in accidentibus: item non ea tantùm quæ ante actionem, sed etiam quæ per ipsammet actionem fiunt aliquo modo homogenea vel heterogenea. Sic calor com-

miscet Ceram cum Pice & plura magis diversa in compositione medicinæ: calor vitalis cibos heterogneos in stomacho: humores cum sanguine in Venis: frigus sal & nitrum dissolvit. *Humidum* describitur, quod difficulter terminatur termino proprio, facilè alieno. *Siccum* quod facilè alieno, difficilè proprio, intellige *per se*, esto per accidens evenire contrarium possit.

CONCL. XXXIIII.

De Qualitatibus motivis.

GRavitas & Levitas sunt accidentia realiter à substantia gravium & Levium distincta. Non videntur distingui à certa combinatione primarum qualitatum, cum Raritate & Densitate. Sic ex primis qualitatibus *Calor* qui Igni & Aëri debetur, quæ sunt rariora facit determinatè Leve; Frigus terræ & aquæ debitum, quæ sunt

dens-

densiora facit grave. Pariter siccitas cum densitate facit grave, cum raritate Leve. Humiditas cum densitate grave, cum raritate facit Leve. Proinde Mixta quoque juxta prædominantium combinationes qualitatum erunt gravia vel levia. Ferrum etiam candens, cùm adhuc sit siccum & densum, manet grave. Unde levitas & gravitas specie differunt: tanquam accidentia absoluta, & non respectiva: tametsi quod est grave respectu unius, possit esse leve respectu alterius, non simpliciter, sed secundùm quid; quatenus grave admixtum habet aliquid levitatis, sicut densum, aliquid raritatis. Hinc *Grave* definitur, id quod natum est ferri ad medium: sive deorsum ad centrum Mundi. *Leve* autem id quod natum est ferri à medio, sive sursum, & ad mundi circumferentiam. *Gravissimum* proinde quod omnibus, quæ deorsum feruntur, substat. *Levissimum*, quod super eminet omnibus. Hinc Elementa in locis naturalibus, nec gravitant, nec levitant, sed quiescunt.

Nec gravia gravitant, nec levia levitant, nisi illa habeant levius infra se, hæc nisi gravius habeant supra se. Atque hinc Corpus gravius Aquâ, minùs in aqua ponderat, quàm extra illam. Unde quædam demerguntur secundùm medietatem, aliqua minùs, aliqua pene tota: v. g. quæ sunt duplo: leviora quàm Aqua, demerguntur secundùm medietatem &c. æquè gravia demerguntur, donec superficies unius, superficiei alterius ex æquo correspondeat, ut in vitro aqua pleno, in aquâ perpendiculariter demisso. Magnitudines videlicet Aquâ leviores tamdiu merguntur, donec occupent locum aquæ sibi æqualis in pondere. Hinc sciri potest. Quantum oneris possint ferre naves? quantum scilicet est pondus Aquæ cujus locum occupare possunt. Cur navigia quædam non submergantur? cur laminæ metallicæ, acus ferreæ, & ramenta metallorum supernatent aquis? cur nubes in aëre sustentantur? Cur aquis præfocati post aliquod tempus supernatent? cur

Recens

Recens ovum, si in aquam dulcem imponatur, mergitur; antiquum & corruptum supernatet? vel si in aquam Sal inijciatur etiam ovum recens liquato sale ascendat? quomodo sciri possit pondus diversorum liquorum, ex unico corpore, cujus pondus nôsti? e. g. si habeas cubum plumbeum unius libræ, in aëre. & hic in aquam demersus deprehendatur unciarum 8. in Vino autem 6. concludes aquam esse ad vinum illud ut 4. ad 6.

CONCL. XXXIV.

De Centro Gravitatis.

Gravitatis centrum est punctum in corpore solido, per quod si ducatur planum tale corpus dividens in duas partes, semper dividit in duas partes æquipõderantes. Unde Linea directionis est recta perpendicularis Horizonti per centrũ

gravitatis ducta. Centrum gravitatis non est idem cum centro magnitudinis, ex genere suo: Hoc autem est punctum illud, circa quod undiq; partes æqualis magnitudinis consistunt. In globo terraqueo centrum gravitatis & magnitudinis quoad sensum est idem: adeoque centrum terræ, est centrum omnium gravium consequenter centrum Universi. Proinde omnia gravia undequaque ad Mundi centrum de se tendunt perpendiculariter, & secundùm *lineam directionis*, ab ipso mundi centro per centrum suæ gravitatis quasi traducta. Omnia perpendicula liberè demissa centrum terræ versus invicem appropinquant & coincidunt. Hinc omnes muri ad perpendiculum structi superiùs magis ab invicem distant, quàm infra. Puteus necessariò in fundo est angustior; & si ad centrum usque terræ foderetur, desineret in punctum. Pavimentum, quod ad *libellam* fit non est planum. Vas aqua plenum plus continet Aquæ ad radicem montis, quàm in cacumine, plus vi-

ni in

tàm in cellario quàm in tecto. Plus distant capita hominum quàm pedes; plus equites quàm equi; plus caput quàm pedes itineris conficiunt. Homines unico, aut utroque pede terræ insistentes, seque inclinantes, aut ab alio in lucta impulsi aut tracti, tamdiu stant, quamdiu linea directionis à centro gravitatis ipsorum ad centrum terræ ducta cadit intra plantas eorum: at si cadat extra cadunt & ipsi, ut cùm presso pede, nec dimisso, corpus impellitur. Hinc sedentes cùm surgere volunt, retrorsum crura antrorsum caput & pedes inclinant. Supini homines corpus complicant, ut se erigant. Ascendentes & dorso onerati spinam dorsi inflectunt. Senes gibbosi genua antrorsum incurvant. Quadrupedia utrumque simul pedem attollere nequeunt, & nunc ad dextram, nunc ad sinistram corpora inflectunt. Qui utrumque pedem parieti conjunctum haben,tnihil à terra sublevare possunt, nisi genua antrorsum complicent. Aliquis rectus stans, caput & pedes

sursum habere potest; nimirum si ita stet ut umbilicus centro terræ correspondeat. Fieri potest scala per quam duo pariter ascendant, & tamen in contrarias & oppositas planè partes moveantur. Item ut per eandem simul unus ascendat & alter descendat, & invicem non occurrant. Si nimirum scala in medio terræ constituatur, ut dimidia pars ad nos, dimidia ad Antipodas tendat.

CONCL. XXXV.

De Qualitate impressa.

PRæter Gravitatem & Levitatem alia etiam motiva datur qualitas, quæ quia mobili per motum imprimitur, dicitur *virtus impressa*, impetus, seu Impulsus; quæ ex se est quidem ad omnes motus indifferens, sed à vario proijcientis motu, per quem producitur, determinatur ad motum in hanc vel illam partem causandum.

dum. Sic impulsum corpus ea recta lineâ incedit, secundùm quam impellens, dum cum impulso conjunctum manebat movebatur. Sic globus in globum quiescentem impingens causat motum in eo per rectam lineam, quæ educitur à contactu per medium globi. Sic à corpore objecto impediente determinatur ad motum reflexum &c. Qualitas illa imprimitur in projectis à motore *successivè*, & ultimò completur in instanti immediatè antecedenti actualem separationem corporis projecti à motore. Hinc proijcientes lapidem retorquent brachium, & inde aliquamdiu sequuntur manu lapidem, ac quo fortior est brachij agitatio, eo fortior etiam producitur impulsus. Qui parum retrahit brachium non procul proijcere potest, nec tam procul liberâ manu, quàm fundâ. Baculus super duobus Scyphis vitreis, aut etiam super paleis frangi potest non fractis paleis, aut vitris: quoque fuerit ictus vehementior, eò paleæ & vitra securiora. Securis adacto per longius

manubrium ictu validius ſcindit. Pondus manu detentum plus negotij facit exporrecto brachio, quàm contracto; & univerſim loquendo majoribus manubrijs facilior fit inſtrumentorum motus, ob diſtantiam ponderis aut potentiæ motricis à centro motus. Sic ligna genibus applicata aut pedibus ſuppoſita per extremum apprehenſa faciliùs franguntur. Gravia in fine velocius moventur quàm in initio. Impetus gladiorum in fine fortior, quàm in principio, & medio eſt. Quia impetus producitur per motum, ergo in partibus diſtantioribus, utpote velociùs, per arcum majorem motus eſt major. Cur autem motus projectorum ſit velocior in medio, e. g. cur globus è tormento excuſſus majorem ictum faciat in diſtantia media, quàm ſi diſtet ſolùm per palmum? cauſa eſt productio impetus uniformiter difformiter, ideoque initio minor in partibus profundioribus, quàm in ſuperficie projecti, quæ tamen per aliquod tempus intendunt impetum in

parti-

partibus profundis, donec omnes perducantur ad quandam æqualitatem impulsûs, qui cùm sit major impulsu primo impresso à proijciente, etiam motus est velocior, quod fit in media distantia: unde retardante gravitate, decrescit impulsus, eâ proportione, qua causaretur velocius descensus.

Nulla datur quies in puncto Reflexionis, quando projecta sursum recidunt non per eandem lineam terram versus, sed arcualiter: quando autem projecta sursum recidunt per se eadem linea, seu perpendiculariter terram versus, datur aliqua in puncto reflexionis quies; ubi vis motiva sursum virtuti motivæ deorsum fit æqualis.

Esto qualitati impressæ in se præcisè consideratæ nullus motus sit contrarius, possunt tamen hi & illi motus eidem esse contrarij, si consideretur cum determinatione quam accipit à proijciente. Sic illi qualitati prout determinatæ ad lineam rectam, omnis ille motus est contrarius, qui à linea recta deficit.

Cor;

Corrumpitur proinde qualitas impressa ab illo motu, qui à principijs determinantibus ad oppositum motum illi, ad quem mobile antecedenter determinatum fuerat, producitur. Adjuvat etiam corruptionem, ipsum medium; retardando aliquo modo motum, quo densius est, cæteris paribus.

CONCL. XXXVI.

De Meteoris.

NOmine Meteori communiter intelligunt Philosohi Mixtum aliquod imperfectum. & accidentale, vel ex vapore & exhalatione simul, vel ex singulis seorsim genitum. Hinc Materia Meteororum *remota* est Terra & Aqua vel mixta similia, proxima est vapor & Exhalatio. Forma est duplex, substantialis & accidentaq

dentalis: illa non differt à forma Aquæ vel Terræ vel mixtorum similium corporum inanimatorum ex quibus fiunt: in quæ iterum resolvuntur: hæc alia præterea accidentia dicit. Efficiens principalis sunt Cælum, Sol, Sidera, Elementa. Instrumentalis potissimùm sunt Calor & Frigus. Unde *Vapor* nihil aliud est, quàm halitus sive expiratio calida & humida, quæ ex corpore aqueo per calorem resoluto prodit, qualem videre est in olla fervente.

Exhalatio est spiratio calida & sicca ascendens è terra, vel ex simili sicca substantia, ut fumus thuris. Quare tam Vapores, quam Exhalationes sunt tot specie, quot sunt species corporum ex quibus extrahuntur. Halitus mixtorum viventium verò sunt diversi substantialiter à corporibus, è quibus fiunt: ut exhalatio Rosæ à rosa: halitus animalis ab animali. Idem dic de halitibus partium viventis, vel cadaverum; ut ligni, lanæ &c. qui non possunt iteratò fieri mixtum: sicut halitus

tus aliorum mixtorum v. g. fumus vini, qui vertitur in vinum: fumus argenti vivi in alembico collectus resolvitur in argentum vivum.

Plures vapores, quam exhalationes generantur, ob majorem facilitatem qua illi ex corporibus aqueis educuntur: hæ verò è terreis, difficilius solvuntur in fumum: nec nisi vaporibus mixtæ levantur in aëra. Hinc Chymici, ut è plantis siccis paululum olei extrahant, plurima aquâ maceratas distillant. Cæterùm Exhalationes longè plures qualitates admittunt, quàm vapores, ob majorem quam habent partium differentiam. Hinc aliæ crassiores, & fere nihil præter terram, qualem in fundo vasis cernimus, in quo pluvia, vel nivalis aqua resedit; aliæ subtiliores, & sunt spiritus & aqua vitæ, quæ semper priores è corporibus distillatis surgunt. Et licet exhalationes maxima ex parte non ascendant nisi vaporibus mixtæ, cùm tamen inæqualem habeant levitatem, in progressu segregrantur: & spiritus quidem, ut pote levio-

leviores, evolant & ascendunt, etiam ad tertiam usque aëris regionem: vapores aquei, utpote medij in levitate, sistunt in secunda regione, ac ibi condensantur in nubes. Exhalationes crassiores, utpote graviores descendunt ad infimam aëris regionem: nullæ autem minùs inferiùs subsistunt, quàm illæ quæ aquis commistæ eas salsas reddunt. Hinc Nebulæ & Caligo sunt aquarum infæcundæ, nec resolvuntur in pluvias: emittunt malum quendam odorem: terram ceu fimus fæcundant: prænuntiare solent serenitatem: indicant mane, æstate magnum calorem diurnum: suntque noxia frumento & fructibus maturis, vel maturitati proximis.

CONCL. XXXVII.

De Meteoris igneis

Supremo in Aëre varij interdum, pro dispositione materiæ accensæ, varijs figuris

paris apparent ignes; ut Saltantes capreæ, currentia Sydera, Flamma, Lancea, stella cadens, ingnis perpendicularis, Fax; Ignis fatuus, Lambeus, cum Castore Pollux, & Draco, cumque Helena inferioris aëris impressiones sunt; Tonitru, cum Fulgure Fulmen Mediæ Regionis sunt partus. Tonitru nihil aliud est, quàm fragor editus ab exhalatione intra nubem coacta; quæ quidem exhalatio fit fulgur sive coruscatio dum igne, sive per motum, sive per antiperistasim concepto emicat; eademque dicitur Fulmen si vehementi cum impetu nube diffractâ eruperit.

Varij & admirandi sunt effectus Fulminis; primò enim sacculo illæso aurum & argentum intus comminuit, & manente carne integrâ, diminuit ossa: quatenus exhalatio subtilis celerrimo motu delata, ubi poros deprehendit laxiores, pertransit; ubi verò ob resistentiam passi immoratur, consumit. Secundò, dolio quandoque confracto vinum non diffluit, fortè quia materiam aliquam viscosam

decalit,

detulit, per quam afflatum vinum, aliquamdiu constrictum manet. E contrà, vase illæso vinum subinde ob majorem ejus resistentiam exhaurit; præterea capillos, intacto corpore, exurit. Subinde veneno infecta purgat vel inficit.

CONCL. XXXVIII.

De Meteoris Lucidis & Aqueis.

IRidem, Parelium, aliaque hujusmodi lucida Meteora, luminis radij variè in opacam Nubem incidentes efficiunt; illaque Iridis apparens rotunditas oritur ex modo reflexionis undequaque consimili: Unde ad generationem illius duo sunt necessaria: sol, tanquam causa effectiva radiorum, & nubes quasi causa materialis & receptiva radiorum ejusmodi, quæ tamen debet esse partim diaphana, ut secundum eam partem quæ nos respicit, lumen imbibat;

bibat; partim opaca ut à tergo lumen repercutiens ad nos transfundat. A Philosophis definitur: Arcus multi color in nube rorida & opaca ex reflexione radiorum Solis oppositi sub angulo certo intuentibus apparens.

Est similis Haloni (Areæ) seu circulo luminoso, cùm suppositi Soli aut Lunæ vapores, radijs eorum illustrantur. Et quemadmodum in Halone centrum Luminaris, centrum circuli illius luminosi, & centrum oculi nostri, in una recta linea constituuntur, ita in Iride: tantùm quòd ibi Luminare & oculus extrema sint, Halo medius: hic Luminare, & arcus extrema, oculus medius: hinc cum spectantis oculo accedit, recedit, procedit; atque ita è diversis locis spectantibus alibi atque alibi constituta videtur, uti obambulantibus ripam Solis imago, aut splendor. Non apparet verò in Iride circulus totus, quia centrum ejus nobis in terram incidit, atque ita superior circuli medietas solùm apparet. Si quis se posset in Nubem, aut supra

supra nubem elevare procul dubio videret totum iridis circulum.

Patet quoque hinc; Cur Sole Oriente, vel Occidente integer semicirculus rectà Cælum versus elevatus; Sole verò alto depressus appareat? cur item Sole verticali fieri nequeat? nec ex parte Meridiei aut Septentrionis? Cur Iris appareat circularis? & quo remotior ab oculo est nubes rorida, eo Iris fiat major?

Datur & *Contra-iris* seu Iris eversa, ex reflexione prioris in superstante nube, sicut imago hominis reflectitur in aqua deorsum inversa: ideoque & minor est & colore debiliori, & colorum ordine inverso: ut nempe supremus fiat infimus, eo modo, quo in speculo dextrum sinistro obvertitur &c. Pars exterior primariæ Iridis, & interior secundariæ est rubra, si una producatur immediatè ab alia: si autem utraque à Sole immediatè producatur tunc ordinariè eodem colorum ordine constant. Porrò colores illi non sunt veri ex combinatione quatuor primarum

quali-

qualitatum, sed apparentes tantùm, & indistincti à luce sic terminata, & ab opacitate corporis diversimodè obscurata.

Chasma (fovea) est cavitas Nubis, scrobem profundam præ se ferens. Fit propter Umbram in medio nubis, cujus extremitates illuminatæ sunt. Simile quid videmus noctu ad candelam, in pariete, cui cavum aliquid, etiamsi albicans, insit.

Parelius sive apparens Sol, est simulacrum Solis in Nube splendida ad latus ejus posita: videntur aliquando tres Soles, si duæ ejusmodi nubes, simul Soli & visui nostro se obvertant.

Paraselene, seu apparens Luna, est imago Lunæ eodem modo in collaterali nube expressa

Virgæ sunt Solis à Nube obtecti, per rariorem tamen Nubem emicantis, Virgarum instar Terram versus protensi radij.

Colores sunt qui in Nube aliter atq; aliter nobis & Soli obversa diversi apparent: ut nimirum aliquando nubes flava videatur, aliquando rubra & flammea &c.

Nubes

Nubes autem est vapor ad mediam usque Aëris regionem erectus, qui in pluviam resolvitur, ubi suum frigus propriamque separavit gravitatem: at pluvia, quando per aërem decidit, si frigore simul accedente exhalatione indurescit, fit grando; Nubes maximè colliguntur super Mare & Stagna ubi maximè fiunt exhalationes: inde à ventis per varias Mundi plagas aguntur, & ab ascendentibus alibi quoque vaporibus augentur. Hinc regioni cuique à parte illa, qua proximum adjacet Mare, creberrimæ veniunt pluviæ, ut nobis ab occasu. Nubis in aquam resolutio & guttatim destillatio seu Pluvia semper quidẽ per Vaporis condensationem fit, sed condensationis non semper eadem est causa efficiens. Aliquando enim vaporem condensat frigus, ut in Alembici capite & tubo (quæ frigidari necesse est) videmus; aliquando ipsa compressio seu conspissatio, ut in balneorum laqueari & ollæ ferventis operculo: Neutra verò harum causarum pluviæ procreandæ deest: cùm

&

& Aëris media Regio frigida sit, & per ascendentes semper vapores, compressa Nubes resolvi necesse habeant. Atque hæc est causa, quòd urens Aëris fervor pluviæ sit prænuntius, quia tum Aërem spissari certum est. Pluvia agris & hortis utilior est aquâ fluviali, ob evaporationum terræ, mineralium, plantarum, animalium admistam pinguedinem. *Nix*, verò concrescit ex nube flatuosa, paulò antequam liquescat in pluviam. Vapor interdiu non longè à terra eductus, nocturno frigore in Rorem; ros in pruinam, si frig⁹ intemperatum fuerit convertitur. *Mel* similiter est vapor tenuis, cui quædam partes terreæ, siccæ, plantarumque exhalationes sunt admixtæ. Proinde mel apes non conficiunt, sed colligunt.

CON-

CONCL. XXXIX.

De Reliquis Meteoris.

M*Are* est communis aquarum congregatio, & origo cæterarum: cujus *salsedo* oritur ex admixtis in magna copia exhalationibus adustis, quod ex *sudore* humano constat, qui salsus ex eo efficitur, quòd calor naturalis existens in partibus corporis adurat partes terreas expirantes, ex quarum permistione salsedo generatur. Differt à reliquis aquis Mare. 1. *magnitudine continuitate & situ*: profunditas illius ordinariè non excedit unum milliare germanicum. 2. *qualitate & virtute*. 3. *Motu*, qui varius est. 4. *fluxu & refluxu*, qui motus *Æstus marinus* dicitur & probabiliter fit à Luna, quæ etiam ob alios effectus *Domina humorum* à Medicis appellatur.

Fontales Aquæ quandoque fiunt è vaporibus in cavernis Terræ condensatis;

eo modo quo in ollarum operculis guttulæ colliguntur. Et licet plerique fontes originem ſuam ducant ex mari, amaro & ſalſo; per diſtillationem tamen, ad Fontium capita, dulces veniant. Sic aqua marina in Alembico diſtillata ſalſedinem amittit: nubes è marinis vaporibus collectæ, dulces demittunt imbres &c.

Aquæ medicinales fiunt à varia metallorum & Succorum Terræ (à quibus medicandi vim, ſaporem & colorem accipiunt) tinctura. e. g. Aquæ calidæ ſeu Thermæ fiunt, ab intus ardente bitumine, ideoque manifeſtè ſulphur exhalant. Acidulæ verò ferrum, cuprum, vitrolium, Alumen &c. referunt.

Bulla eſt pellicula aquea tenuis aëre oppleta. Fit cùm Aëris particula infra Aquam contruſa, ſurſum fertur; quem aqua in ſuperficie ſua pinguior exiſtens evolare non ſtatim patitur, ſed ei pelliculam veſiculæ inſtar obducit. Quo oleoſior aqua, eò tenaciores bullæ fiunt; ut in ludicris illis ſphærulis, ex Aqua & ſmigma-

gmate, à pueris efflari solitis, videre est.

Spuma est congeries minutissimarum bullarum, à repentino aquæ in aquam delapsu excitatarum. Albedinem spumæ indit aquæ in minutias contusio: sic glacies, cera, pix, aliaque contrita albicant. Durabilitas spumæ major quoque est in liquore oleoso, ut in Cerevisia &c.

Terræ-motus hic dicitur sensibilis & vehemens terræ commotio, partim facta ab aëre nimis attenuato, partim à magna exhalationum copia cavernis terræ inclusa, quæ dum exitum quærit, nec invenit, tamdiu in terram alliditur, donec illam vel rumpat cum hiatu & fragore, vel saltem horribilem subsultum & tremorem efficiat. Ordinariè non percutitur magnum terræ spatium: imò probabile est non posse naturaliter dari exhalationem tam copiosam, quæ totam terram concutiat, ut in passione Christi divinitùs accidit.

Ventus est terrea exhalatio valde arida ab Astris elevata, ac frigidi aëris in media regione simul, & nubium repulsu in trans-

versum acta ita ut obliquo suo decursu etiam aërem moveat. Cessant venti vel frigore poros terræ obstruente, nequid exhalet amplius, vel exhalationum calorem superante, vel sole eas absumente.

CONCL. XL.

De Mineralibus.

Quæ in terræ visceribus ex Vaporum & Exhalationum varia commixtione eruuntur, *Mineralia* vocantur, suntque triplicis generis *Lapides*, *Metalla*, *&* *Succi concreti*. *Lapis* describitur corpus fossile ac durum, quod nec calore, nec humore liquescat. *Metallum* dicitur corpus fossile ac durum igne liquabile ac malleo ductibile. *Succus* concretus est corpus fossile siccum duriusculum humore liquabile; cujusmodi sunt *Sal*, *Nitrum*, *Alumen*, *Vitrolium*. Ab igne progenerari vel ex eo patet, quòd sæpe adeo calida è venis eximantur ut tactus ipsa non ferat. Ideo & scru-

scrutantibus metalla calor prodere solet. Cùm hyeme omnes herbæ pruinâ candicent, illæ quæ supra Venas stant, nullam admittunt pruinam, concretionem scilicet exhalatione ab intus calida impediente. Sic & arbores foliorum livore Metallorum venas produnt. Ex vaporibus autem fieri metalla, argumento est, quòd etiam in nubibus procreari æs, cuprum &c. soleant. Fieri autem ex aqueis vaporibus metalla, ostendit liquabilitas: coagulant vero Salis vi. Ideo ferri scoriæ salsæ sunt & amaræ. Argentum vivum solum liquet semper: innatant ei metalla reliqua, quod omnium compactissimam habet substantiam, solo Auro excepto: quod proinde solum intra se recipit.

Vis quæ mineralibus inest, [illegible] *naturalis* vocatur: cujus tot sunt formæ quot Mineralium species. Alius est Spiritus Salis, aliu spiritus Vitrioli, Magnetis, ferri &c. quos extrahere norunt *Distillatores.*

CONCL. XLI.

De Corporis Actionibus in communi.

ACtio in communi considerantur hic vel in ordine ad Passum, vel in ordine ad Agens. Si prius, vel iterum consideratur in ordine ad ipsum Agens, & quæritur an Idem agat in seipsum? vel in ordine ad aliud ab Agente distinctum; quæ vel ratione Termini, & quæritur, An simile agat in simile? an tantum in Dissimile. Vel ratione Medij, & quæritur, an determinata sit Activitatis sphæra, Actionis Medium. An uniformiter difformiter Actio per medium procedat? An opus sit actione per medium continuata? an verò in distans possit ferri Actio. Si posterius, vel considerantur actiones in ordine ad primò producens, & quæritur, An agens repatiatur agendo? vel in ordine ad Reproducens, & quæritur, An detur actio reproductiva?

CON-

CONCL. XLII.

De Actione in Seipsum.

IDem non agit directè & per seipsum secundùm eandem scil. partem actione violenta, vel corruptiva, quæ appetat vel causet suam corruptionem, sive in se, sive in suis proprietatibus; sed neque Actione perfectiva Univocâ v. g. idem calor ut 4. se perficiat, & intendat ut quinque. Idem tamen, secundum eandem partem, agit in seipsum indirecte & per accidens actione tam violenta, quàm corruptiva: imò directè etiam & per se actione perfectivâ Æquivoca, ut manifeste patet in actionibus immanentibus.

De Actione intensiva Antiperistaseos peculiaris est quæstio. Cardanus post Galenum, putat eam intensionem Apparentem tantùm & imaginariam esse; non autem physicam, & realem in se; v. g. putealem aquam hyeme ideo videri calidio-

diorem, quòd nos frigidorum membrorum attactu eam tractemus; in cujus comparatione sit calida quodammodo. Sed meminisse debuerat, cum putealem hyeme judicat calidiorem, id non algentibus digirotum tantùm extremitatibus percepisse, sed calidiori etiam gutture & stomacho. Proinde Physica realis est illa intensio. Sed à quo per se positivè causata? Non à contrario circumstante, quod sæpe nec Eminenter, nec formaliter id in se effectum contineat. Non à subjecto ejusdem qualitatis, cui sæpe intensa qualitas violenta est; ergo intensio in Antiperistasi, si qualitas sit connaturalis & subjecto debita, fit à principio intrinseco, supposito abscessu contrariæ qualitatis. Quod si verò qualitas non sit subjecto connaturalis, fit ab aliquo agente extrinseco, in re incluso, & detento à circumstante contrario. Hinc quòd affusa aquâ vel oleo derepente copioso, calx inflammetur, æger deliquium passus vitales spiritus resumat; stomachus hyeme meliùs digerat; & animal

mal metis valeat; circumfusâ nube frigidâ, multa accendantur Meteora; medicis Chymicæ fornaculis durissima metalla liquescant, in furnis fabrorum levi aspergine persusi carbones inardescant, stramen ac triticum malefactum post putrefactionem, tandem sponte accendatur; fimus in libero Aëre, inter nives summè æstuet: manus tractantes nivem calefiant, aqua fervens exposita Soli citiùs frigescat, quàm exposita aëri frigidissimo &c. debetur Antiperistasi; Actio Antiperistatica communiter definitur Intensio qualitatis propter circumstans contrariū. Ubi ly *propter* non causam per se intensionis exponit, sed causam per accidens, & peculiarem tantùm modum, quo Agens se ad agendum applicat; vel ad summum causam negativam, quatenus circumsistens contrarium, attrahendo ea, quæ obstant intensioni, ejusmodi impedimentorum negatione intensionem promovet.

In Reflexione denique & Refractione idem non agit in seipsum. Intensius lu-

men, quod videmus in puncto concursus h. e. in minimo illo aëris, vel medij in quo radij uniuntur, provenit à corpore luminoso, quod per tot radios, quot à speculo reflectuntur, eidem passo meliùs applicatur, adeoque intensiorem in eo producit effectum. Actio proinde reflexa est, quæ inveniens impedimentum, retrorsum effectum suum projicit, ad angulos æquales angulis incidentiæ. Actio refracta est, quæ inveniens diversam dispositioné medij, pergit quidem ulteriùs, sed non per eandem lineam, sed per aliam facientem angulum cum priori. Quod si actio directa incidat perpendiculariter in medium diversum, tunc non refrangitur, sed procedit per eandem lineam. In refractione tamen, si medium refrangens sit densius, magisque actioni resistens, refractio fit ad perpendicularem, i. e. per lineam perpendiculari propinquiorem; si verò medium sit rarius, refractio fit à perpendiculari. Porrò quò magis aut minùs resistit medium, & quo linea incidens est

magis

magis obliqua eo major fit refractio. Ex refractione oritur, quod numiſma aut aliud quidcunque in aqua exiſtens videatur, quod alias videri non poterat; quòd res in aqua collocata, & ex aëre obliquè ſpectata non ſit eo Loco, quo apparet, adeoque jaculatori aliter collimandum ſit ad piſcem, quam ad Avem. Sic ſolem ſæpe ante ſuum ortum videmus; unde pluviam certò futuram prænuntiamus. Hinc Eclipſis Lunæ conſpici poteſt viſo ſimul Sole: una eademque res ſæpius, & in diverſis locis eodem tempore videri: ex una domo civitas, ex cataphracto milite inſignis armatorum acies repræſentari: eodem tempore tam nos, quàm Antipodes noſtri ſolem oculis poſſumus contemplari.

Refractio & Reflexio varia in cæleſtib⁹ ac ſublunaribus pingit phaſmata, Halones, Parelia, Paraſelinas, Irides in nubib⁹: in priſmate ſeu cryſtallo trigonâ: in ampullis vitreis, in aqua fontium arcuata & irrorata: in lucernis ardentibus. In una provincia videre licebit Aquilam & è con-

eo modo quo in ollarum operculis guttulæ colliguntur. Et licet plerique fontes originem ſuam ducant ex mari, amaro & ſalſo; per diſtillationem tamen, ad Fontium capita, dulces veniunt. Sic aqua marina in Alembico diſtillata ſalſedinem amittit: nubes è marinis vaporibus collectæ, dulces demittunt imbres &c.

Aquæ medicinales fiunt à varia metallorum & Succorum Terræ (à quibus medicandi vim, ſaporem & colorem accipiunt) tinctura. e. g. Aquæ calidæ ſeu Thermæ fiunt, ab intus ardente bitumine, ideoque manifeſtè ſulphur exhalant. Acidulæ verò ferrum, cuprum, vitrolium, Alumen &c. referunt.

Bulla eſt pellicula aquea tenuis aëre oppleta. Fit cùm Aëris particula infra Aquam contruſa, ſurſum fertur; quem aqua in ſuperficie ſua pinguior exiſtens evolare non ſtatim patitur, ſed ei pelliculam veſiculæ inſtar obducit. Quo oleoſior aqua, eò tenaciores bullæ fiunt; ut in ludicris illis ſphærulis, ex Aqua & ſmigma-

gmate, à pueris efflari solitis, videre est.

Spuma est congeries minutissimarum bullarum, à repentino aquæ in aquam delapsu excitatarum. Albedinem spumæ indit aquæ in minutias contusio: sic glacies, cera, pix, aliaque contrita albicant. Durabilitas spumæ major quoque est in liquore oleoso, ut in Cerevisia &c.

Terræ-motus hic dicitur sensibilis & vehemens terræ commotio, partim facta ab aëre nimis attenuato, partim à magna exhalationum copia cavernis terræ inclusa, quæ dum exitum quærit, nec invenit, tamdiu in terram alliditur, donec illam vel rumpat cum hiatu & fragore, vel saltem horribilem subsultum & tremorem efficiat. Ordinariè non percutitur magnum terræ spatium: imò probabile est non posse naturaliter dari exhalationem tam copiosam, quæ totam terram concutiat, ut in passione Christi divinitùs accidit.

Ventus est terrea exhalatio valde arida ab Astris elevata, ac frigidi aëris in media regione simul, & nubium repulsu in trans-

versum acta ita ut obliquo suo decursu etiam aërem moveat. Cessant venti vel frigore poros terræ obstruente, nequid exhalet amplius, vel exhalationum calorem superante, vel sole eas absumente.

CONCL. XL.

De Mineralibus.

Quæ in terræ visceribus ex Vaporum & Exhalationum varia commixtione eruuntur, *Mineralia* vocantur, suntque triplicis generis *Lapides*, *Metalla*, & *Succi concreti*. *Lapis* describitur corpus fossile ac durum, quod nec calore, nec humore liquescat. *Metallum* dicitur corpus fossile ac durum igne liquabile ac malleo ductibile. *Succus* concretus est corpus fossile siccum duriusculum humore liquabile; cujusmodi sunt *Sal*, *Nitrum*, *Alumen*, *Vitrolium*. Ab igne progenerari vel ex eo patet, quòd sæpe adeo calida è venis eximantur ut tactus ipsa non ferat. Ideo &

scru-

scrutantibus metalla calor prodere solet. Cùm hyeme omnes herbæ pruinâ candicent, illæ quæ supra Venas stant, nullam admittunt pruinam, concretionem scilicet exhalatione ab intus calida impediente. Sic & arbores foliorum livore Metallorum venas produnt. Ex vaporibus autem fieri metalla, argumento est, quòd etiam in nubibus procreari æs, cuprum &c. soleant. Fieri autem ex aqueis vaporibus metalla, ostendit liquabilitas: coagulantur verò Salis vi. Ideo ferri scoriæ salsæ sunt & amaræ. Argentum vivum solum liquet semper: innatant ei metalla reliqua, quòd omnium compactissimam habet substantiam, solo Auro excepto: quod proinde solum intra se recipit.

Vis quæ mineralibus inest, *Spiritus naturalis* vocatur: cujus tot sunt formæ quot Mineralium species. Alius est Spiritus Salis, alius spiritus Vitrioli, Magnetis, ferri &c. quos extrahere norunt *Distillatores*.

CONCL. XLI.

De Corporis Actionibus in communi.

ACtio in communi consideratur hic vel in ordine ad Passum, vel in ordine ad Agens. Si prius, vel iterum consideratur in ordine ad ipsum Agens, & quæritur an Idem agat in seipsum? vel in ordine ad aliud ab Agente distinctum; que vel ratione Termini, & quæritur, Assimile agat in simile? an tantum in Dissimile. Vel ratione Medij, & quæritur. an determinata sit Activitatis sphæra, Actionis Medium? an uniformiter difformiter Actio per medium procedat? , An opus sit actione per medium continuata? an verò in distans possit ferri Actio. Si posterius, vel considerantur actiones in ordine ad primò producens, & quæritur, An agens repatiatur agendo? vel in ordine ad Reproducens, & quæritur, An detur actio productiva?

CON-

CONCL. XLII.

De Actione in Seipsum.

IDem non agit directè & per seipsum secundùm eandem scil. partem actione violenta, vel corruptiva, quæ appetat vel causet suam corruptionem, sive in se, sive in suis proprietatibus; sed neque Actione perfectiva Univocâ v. g. idem calor ut 4. se perficiat, & intendat ut quinque. Idem tamen, secundum eandem partem, agit in seipsum indirecte & per accidens actione tam violenta, quàm corruptiva: imò directè etiam & per se actione perfectivâ Æquivoca, ut manifeste patet in actionibus immanentibus.

De Actione intensiva Antiperistaseos peculiaris est quæstio. Cardanus post Galenum, putat eam intensionem Apparentem tantùm & imaginariam esse; non autem physicam, & realem in se; v. g. putealem aquam hyeme ideo videri cali-

diorem, quòd nos frigidorum membrorum attactu eam tractemus; in cujus comparatione sit calida quodammodo. Sed meminisse debuerat, cum putealem hyeme judicat calidiorem, id non algentibus digitorum tantùm extremitatibus percepisse, sed calidiori etiam gutture & stomacho. Proinde Physica realis est illa intensio. Sed à quo per se positivè causata? Non à contrario circumstante, quod sæpe nec Eminenter, nec formaliter id in se effectum contineat. Non à subjecto ejusdem qualitatis, cui sæpe intensa qualitas violenta est; ergo intensio in Antiperistasi, si qualitas sit connaturalis & subjecto debita, fit à principio intrinseco, supposito abscessu contrariæ qualitntis. Quod si verò qualitas non sit subjecto connaturalis, fit ab aliquo agente extrinseco, in re incluso, & detento à circumstante contrario. Hinc quòd affusa aquâ vel oleo derepente copioso, calx inflammetur, æger deliquium passus vitales spiritus resumat; stomachus hyeme meliùs digerat; & animal

mal mentis valeat; circumfusâ nube frigidâ, multa accendantur Meteora; medicis Chymicæ fornaculis durissima metalla liquescant, in furnis fabrorum levi aspergine perfusi carbones inardescant, stramen ac triticum madefactum post putrefactionem, tandem sponte accendatur; fimus in libero Aëre, inter nives summè æstuet: manus tractantes nivem calefiant, aqua fervens exposita Soli citiùs frigescat, quàm exposita aëri frigidissimo &c. debetur Antiperistasi; Actio Antiperistatica communiter definitur Intensio qualitatis propter circumstans contrariũ. Ubi ly *propter* non causam per se intensionis exponit, sed causam per accidens, & peculiarem tantùm modum, quo Agens se ad agendum applicat; vel ad summum causam negativam, quatenus circumsistens contrarium, attrahendo ea, quæ obstant intensioni, ejusmodi impedimentorum negatione intensionem promovet.

In Reflexione denique & Refractione, idem non agit in seipsum. Intensius lu-

men, quod videmus in juncto concursus h. e. in minimo illo aëris, vel medij in quo radij uniuntur, provenit à corpore luminoso, quod per tot radios, quot à speculo reflectuntur, eidem passo meliùs applicatur, adeoque intensiorem in eo producit effectum. Actio proinde reflexa est, quæ inveniens impedimentum, retrorsum effectum suum promeit, ad angulos æquales angulis incidentiæ. Actio refracta est, quæ inveniens diversam dispositionẽ medij, pergit quidem ulteriùs, sed non per eandem lineam, sed per aliam facientem angulum cum priori. Quod si actio directa incidat perpendiculariter in medium diversum, tunc non refrangitur, sed procedit per eandem lineam. In refractione tamen, si medium refrangens sit densius, magisque actioni resistens, refractio fit ad perpendicularem, i. e. per lineam perpendiculari propinquiorem; si verò medium sit rarius, refractio fit à perpendiculari Porrò quò magis aut minùs resistit medium, & quo linea incidens est

magis

magis obliqua eo major fit refractio. Ex refractione oritur, quod numiſma aut aliud quidcunque in aqua exiſtens videatur, quod alias videri non poterat; quòd res in aqua collocata, & ex aëre obliquè ſpectata non ſit eo Loco, quo apparet, adeoque jaculatori aliter collimandum ſit ad piſcem, quam ad Avem. Sic ſolem ſæpe ante ſuum ortum videmus; unde pluviam certò futuram prænuntiamus. Hinc Eclipſis Lunæ conſpici poteſt viſo ſimul Sole: una eademque res ſæpius, & in diverſis locis eodem tempore videri: ex una domo civitas, ex cataphracto milite inſignis armatorum acies repræſentari: eodem tempore tam nos, quàm Antipodes noſtri ſolem oculis poſſumus contemplari.

Refractio & Reflexio varia in cæleſtib⁹ ac ſublunaribus pingit phaſmata, Halones, Parelia, Paraſelinas, Irides in nubib⁹: in priſmate ſeu cryſtallo trigonâ: in ampullis vitreis, in aqua fontium arcuata & irrorata: in lucernis ardentibus. In una provincia videre licebit Aquilam & è con

tra: in Rota Fortunam, in uno FRANCISCO Principe duos GEORGIOS &c.

Multiplicatis reflexione aut refractione simul radijs producitur lux, calor in anteriore quidem parte à cavis, sphæricis parabolicis, ellipticis, imò etiam à pluribus planis: in posteriore autem parte à convexis vitris, parabolicis etiam atque ellipticis, quæ sufficienter diaphana sint. Hinc si candela ardens ponatur in puncto concursûs, seu foco, ad ingens spatium lumen multiplicat; adeò ut si quis à longè speculum aspiciat, videatur sibi solem, aut furnum accensum videre, & centenis etiam passibus à candela distans literas legere potest. Quare si noctu iter faciendo, aut per plateas incedendo, laternam ita componas, speculo cavo intra posito, candela in eodem foco consistat, potes tibi omnes occurrentes, evibratâ in quamlibuerit partem luce videre, illis te non videntibus, nec agnoscentibus: potes item lumen in quodvis obscurum cubiculum inferre, sine flamma &c.

CON-

CONCL. XLIII.

De Actione in Simile.

S*Imile* Alterativa Actione ***non agere in Simile***, communior est sententia, vel receptum potius axioma; quòd omnis actio sit ut Passum assimilet, quare ubi assimilatum est cessat actio. Verùm non videtur neganda actio, quando Agens est potens eam producere, & passum est capax illam recipere & nullum est impedimentum. v.g. calidum ut tria, vel quatuor habet sufficientem virtutem producendi calorem ut unum, & calidum ut quinque habet sufficientem potentiam naturalem recipiendi calorem ut unum, quid igitur impediet? Omnis proinde actio est, ut assimilet & in qualitate & in gradu Passum, inprimis quod habet contrarium positivum; quare assimilato passo cessat actio corruptiva, seu quæ destruit contrarium, vel passo inconvenientem qualitatem

producit: sed non perfectiva, quæ nil destruit: sed passo convenientem addit qualitatem. Prætere aactio est ut assimilet, secundum gradus, qui præexistentibus ab alio agente productis, adduntur; non secundùm eos, qui præfuerunt: ac proinde licet aliunde tantundem habeat, quantum agens, adhuc tamen est in potentia ad gradus quos non habet. Unde intensio major quam octo graduum naturaliter non sequitur, ubi Agens simile A v. g. 4. grad. communicavit effectum quem potuit, non potest producere ulteriorem gradum, licet passum simile v. g. B. ulterioris gradus sit capax; Unde nec simile B. reagit in simile A per qualitatem à simili A receptam, quamdiu in esse & conservari à simili A pendet simile B in eo caloris gradu quem accepit.

Etsi densitas ac Magnitudo non augeat per se virtutem agentis, per accidens tamen, velut conditio confert, ut agens celeriùs & ad majorem distantiam agat: imò

ut

ut etiam similem sibi effectum in passo extra se posito producat, adeoque intensiorem producat effectum, quàm aliàs produxisset. Plures candelæ omninò similes, ordine dispositæ, vel etiam penetrativè simul positæ, lumen mutuo intendunt & primarium & secundarium.

CONCL. XLIV.

De Actione in sphæram uniformiter difformiter.

QUEmadmodum omnia Agentia naturalia limitata sunt in essendo, ita etiam in operādo. Hinc Primò fit, ut in infinitam distantiam non agant, sed limitatum Activitatis spatium habeant; quòd, quia pleraque Agentia in orbem agunt *Sphæram Activitatis* vocant: ita ut verùm sit dicere: *In tanto spatio potest agens agere, & non in minori*; Et quò magis à principio effectivo

fectivo recedit Actio, eò magis debilitatur. Hinc fit 2. ut agentia naturalia fortius agant in ea, quæ intra ſphæram diſtant propinquiùs, quàm, quæ remotiùs; adeòq; agant *uniformiter difformiter*. Hanc tamen actionis Remiſſionem, vel intenſionem, ſolùm admittimus reſpectu termini diviſibilis, intenſibilis ſcilicet, vel remiſſibilis, extra agens exiſtentis. Terminus indiviſibilis, ubicunque producitur, modò intra Sphæram producatur, æquabili ſemper Actione producitur. Ex dictis ſequitur ab Agente Paſſum intra Sphæram, omninò ſecundùm eundem intenſionis gradum, aſſimilari ſimpliciter non poſſe: per accidens autē poſſe, ſi vel ſupernaturaliter ponatur Paſſum cum Agente penetrativè, vel paſſo multò majus & denſiùs ſit Agens, quòd eò remotiùs agit, quò majus & denſiùs eſt, Actio uniformiter difformis per totam Activitatis ſphæram, uſque ad ultimum terminum magis magiſque debilitatur, non ſecundùm partes determinatas, & aliquotas, ſed ſecundùm indeterminatas & proportionales.

CON-

CONCL. XLV.

De Actione in Distans.

CErtùm est, nullam dari actionem in distans extra sphæram activitatis ipsiusmet Agentis: sed controvertitur, num detur actio in distans intra sphæram; ita, ut Medium sine effectu transiliatur ab agente? Communiter negant, quamvis admisso communi cõtactu Physico, tam suppositi, quàm virtutis; etiam verùm sit, Actionem in passo remoto, & non in medio receptam posse proficisci inadæquate ab Agente distanti, modò in toto medio effectum aliquem producat agens; ut fit, cùm Sol partem medij, vel totum medium illuminat; Lumen autem Medij partem alteram calefacit; calor demùm raritatem in Aqua à sole remota producit. Item cum Sol producit aurum vel gemmam in visceribus terræ, licet continuetur à Solis supposito

ſito ad effectum uſque actio inſtrumentalis, quæ à lumine vel calore diſponente proficiſcitur, actio tamen aurifica vel gemmifica, quæ per ſe ſubſtantiam auri vel gemmæ attingit per totum medium non continuatur. Et multa in hoc genere vulgò jactantur fieri per ſympathiam aut antipathiam; item per aliquam ſpirituum tranſmiſſionem, aut per qualitates occultas ſeu inſenſibiles quæ non percipiuntur, niſi per effectus ab ipſis productos.

Sic bufo ſole exſiccatus, ubi tuberibus peſtiferis applicatur, humorem noxium attrahit, ægrumque ſanat. Sic medetur morſibus aranei impoſitus araneus; ſic plagam à ſe inflictam curat Scorpius; ſic apum aculeos mel etiam ſanat; ſic morſum viperæ caro viperina, quam æger comederit; ſic terreſtre virus ſerpentes, aquaticum dipſades, aëreum araneæ attrahunt: item erucæ, papiliones, aliaque id genus inſecta, dum plantis ac fructibus inſident, per qualitates proprias noxia exſugunt; ſic Vetula quædam aut tactu aut

viſu

visu pueros & animalia fascinant; quia etiam solo aspectu cætera animalia enecat serpens basiliscus. Unde autem est, quòd Bos ad Lanionis præsentiam trepidet ferociat, fugiat? an quia vestes, manus, halitum ipsum Lanionis, sanguine & spiritu pecudum sui generis infectas, odoratur? quod idem de antipathia, quæ inter canes & canicidas dici potest. Unde, quòd cadaver hominis occisi, ad homicidæ præsentiam etiam post dies, vel menses, imò annos aliquot, sanguinem stillat? Hinc & antipathia illa, quam delicatiores Naturæ erga homicidas, etiam ignotos experiuntur. Ad præsentiam enim homicidarum horrent, si edendum aut bibendum sit cum illis nauseant &c. Nota excellentissimi in Italia Chirurgi solertia, qui ademptum cuidam nasum, è brachio inciso, & per mensis spatium faciei alligato, alium exsculpens reparavit. Notus & ridiculus paulò post casus. Nobilis in Duello, Naso quoque truncatus, ejusdem opem poposcit; sed delicatus cùm esset, & brachi-

um

um sibi dissecari nollet, conduxit mercede Rusticellum, qui se illi alligari, brachiumque Naso illius reparando adhiberi passus est. Processit cura; sed cùm post sexennium rusticus mortuus fuisset, Nobilis illius nasus unà computruit & recidit. An quia egrediente è putrescente Rustici cadavere spiritu animali, particula ejus è Naso Nobilis etiam egressa est, nasusque (non succedente tanquam in alienam massam, spiritu Nobilis) putrefactus quoque decidit. Inter naturæ arcana recensetur, si quis amici à se digressuri, alter alterius sanguinis partem hauriat, (atque ita partem spiritûs ejus suo adijciat) futurum ut altero ægrotante, aut malè affecto, quamvis per longissima terrarum spatia absint, alter se quoque mærore affici sentiat. Celebre est unguentum Magneticum, quo non vulnus ipsum, sed instrumentum quo vulnus inflictum est, aut Vestis, Lignum, Terra, vulneris cruore perfusa solummodò inunguntur: vulnus autem hominis procul distantis, feliciter co-

it &c

fit & sanatur. Sed hoc forsan unguentum simile illi, quo Venefica inunctæ furcæ virtute volat per aërem.

CONCL. XLVI.

De Actione Reciproca.

ACtio Reciproca, consistit in *Reactione, & Repassione.* Reactio, est reciproca actio Passi in Agens. Repassio verò reciproca, passio Agentis à Passo. Ad utramq; Quatuor præcipuè conditiones requiruntur. 1. Ut agens & passum in Materia communicent. 2. Ut utrumque sit in utriusq; activitatis sphæra. 3. Ut fiant actiones secundùm contrarias sensibiles qualitates. 4. Ut sit proportio inter Agentis & Reagentis activitatem, & Passi & Repassi resistentiã, ita ut utriusq; activitas possit vincere resistentiã alteri⁹, victoriâ saltèm partiali & non ultima. Quid autẽ sit Activitas, & quid Resistentia? Illa est ipsa virtus Agentis,

gentis, quatenus per illam agentia operantur. Hæc est vis quædam passi, qua impedit actionem Agentis, quæ triplex communiter assignatur. Negativa, quæ consistit in sola incapacitate subjecti, ad quod Agens applicatur. Passiva, seu Privativa, seu formalis, vel defensiva, qua Passum formæ capax absque actione impedit, vel retardat actionem Agentis, per informationem formæ contrariæ sibi oppositæ: proinde non consistit in aliqua nova actione, sed in permanentia illa formæ in subjecto, & suo statu connotando actionem alterius conantis eam ab illo subjecto & statu dimovere: Ita Aqua calida per calorem resistit frigefactioni & reductioni ad frigus connaturale. Activa seu effectiva, vel offensiva resistentia est, quæ virtute sua activa & propria sua actione, impedit actionem alterius in se agentis: Proindè prout suâ actione expellit formam contrariam, ejusq; actionem sic impedit, dicitur Resistentia; prout verò per illam producitur effectus, dicitur Actio

rea-

reagentis. Sic v. g. frigus, quòd patitur à calore, suâ virtute calorem aliquantulùm imminuit, ejusq; actionem consequenter impedit. Prior resistentia in Reciproca actione locum non habet; habent posteriores duæ.

Quæstio non est, an Reciproca dentur secundùm diversas partes, ut volebant aliqui: vel secundùm easdem, sed diverso tempore, ut alij censebant; sed an Agens possit secundùm idem tempus, secundum eandem partem, à Passo, in quod agit, repati; adeoque an secundùm eandem contrarietatem una qualitas agat, altera Reagat, seu una patiatur, altera repatiatur; idque absque ulla interruptione, donec tandem alterutrum Agens omninò vincatur, vel ambo in concordiam & temperiem redigantur? Affirmamus. Neque hinc metuimus. 1. ab Agente Passum nunquam assimilandum, si non in gradu, saltem in qualitate: nec tale futurum Agens in fine, quale erat in ejus initio. 2. Passum non reacturum, eò quòd majo r

major sit in Repasso Resistentia, quàm activitas in Reagente, & sic fallere videatur illud Axioma: *Actio inter contraria debet proficisci à proportione majoris inæqualitatis.* Nec fallit hîc axioma, neque major est resistentia Repassi, quàm activitas Reagentis, quæ à toto est Reagente, illa verò non nisi actualiter ab illa Repassi parte, quæ oppugnatur per gradum illum, quem conatur totum Reagens introducere, v. g. cùm frigus *ut tria* secùndum se totum reagit in calorem *ut octo*, & conatur gradum frigoris ut *unum* introducere, tunc Calor ut *octo*, non actualiter totus resistit, resistentiâ formali, sed solùm eâ parte & unico gradu illo, cui Reagens vult introducere contrarium: qui unicus est actualiter incompossibilis cum frigoris gradu ut *unum* introducendo; cæteri verò aptitudinaliter tantùm; repugnaturi etiam actualiter, si impeterentur. Neque hinc sequitur, Idem posse eodem tempore, eâdem parte contrarijs motibus moveri, intellige incompossibilibus; compossibiles autem sunt, qui non sunt in summis gradibus.

CON-

CONCL. LXVII.

De Actione Reproductiva.

REm permanentem corruptam reproduci naturaliter non posse, certa & vera est sententia; quomodo res mortua, nunquam sibi per vires naturæ restituitur. Quod ajunt de Pelicano pullos suos revocante ad vitam, proprio sanguine illos aspergendo, fabula est: idem dic de Phænice. At res corrupta v. g. mortuus homo potest idem numero divina virtute reproduci & resurgere: sicque est de fide mortuorum resurrectio. Si tum corpus, tum anima, inquiunt Durandus & Tostatus penitus annihilaretur reproduci eadem numero non posset: at hoc nullam implicat contradictionem; neque de essentia rei est, ut semel tantùm existat; sicut non est ut in uno tantum loco existat. Imò Res etiam nondum corrupta & adhuc existens,

divinâ virtute reproduci potest: adeoq; transire de non esse sui *reproductio* ad esse sui: idem esse præsens & præteritum, novum & vetus diverso respectu. Sed quid de successivis statuendum? implicare dicimus eorum reproductionem: non secus ac idem simul esse prius & posterius.

CONCL. XLVIII.

De Generatione Substantiali.

Actio generativa in communi est per quam generatur Compositum sive substantiale sive accidentale; Unde tanquam in species dividitur in actionem generativam substantialem & accidentalem. Substantialis dividi potest. 1. in Absolutè talem. 2. in Conversionem. 3. in Mixtionem. Accidentalis verò in Alterationem, Rarefactionem, Condensationem &c.

Generationem substantialem definit Arist.

Arist. *est mutatio* totius in totum, nullo sensibili remanente ut subjecto eodem, quæ definitio non est essentialis omni generationi conveniens; neque generatio essentialitet involvit Privationem, & consequenter mutationem, licet defacto generatio fiat cum privatione. Ideo in communi definiri potest, quòd sit productio formæ in subjecto, consequenter etiam creatio animæ in materia generatio dici potest. Si servatâ formâ priore subjectum divinitùs aliam formam acquireret, non esset transitus totius, quod ex suppositione maneret, sed generatio.

CONCL. XLIX.

De Conversione Substantiali.

CONversio, est transitus seu desitio unius rei in aliam: Proinde includit essentialiter duas mutationes, positi-

vam unam, negativam alteram. Ad conversionem necessariò requiruntur: 1. ut terminus tam *à quo* quàm *ad quem*, sit positivus. 2 Ut id, quod convertitur, vel desinat esse secundùm totam suam substantiam, cùm est totalis conversio substantiæ, qualis est Eucharistica Panis & Vini in Corpus & Sanguinem CHRISTI transubstantiatio; vel saltem secundùm Formam substantialem, cùm est partialis tantùm, qualis fortè fuit conversio Aquæ in Vinum in Cana Galileæ. 2. Ut id, in quod fit conversio, vel de novo esse incipiat, ita, ut ante non fuerit, ut factum fuisse videtur in conversione aquæ Cananææ; vel si ante fuerit secundùm substantiam, nunc aliter se habeat, secundùm secundùm Accidentia quædam de novo advenientia, ut fit in conversione Eucharistica. 4. Ut aliquid commune utrique termino remaneat, sive per modum subjecti, ut factum in conversione aquæ; sive per modum formæ, ut fit in conversione Eucharistica, ubi manent accidentia Panis & Vini, per modum for-

mæ

[illegible]æ extrinsecæ seu vestis, communia Corporis CHRISTI. 5. Ut desitio termini à *quo*, & inceptio termini *ad quem*, habeant inter se aliquam connexionem; ita, ut hic incipiat, quia ille desinit; & hic desinit, quia ille incipit, eò quòd ex natura propria, vel ex præsentibus circumstantijs fiant Repugnantes aut Incompossibiles, & se compàti non possint. Eadem quinque necessariò cum proportione, suo modo requiruntur etiam ad conversionem accidentalem; quæ differt à substantiali, quòd hujus terminus *ad quem* sit substantia, siue terminus *à quo*, sit substantia, siue accidens; illius verò terminus, ad quem sit accidens, sive terminus *à quo* sit accidens, sive substãtia. Transubstantiatio est conversionis substantialis species, in qua, tam terminus *Ad quem*, quàm *A quo*, sunt substantiæ. Hinc verbum divinum à sancto August. dicitur non fuisse conversum in Hominem, quia non desijt esse Verbum. Et sicut non est conversio, cùm res annihilatur, vel corrumpitur, (neq; enim animal moriens in

mortem, vel anima rationalis in cadaver convertitur.) ita nec conversio est; cùm alterum ab altero solùm loco pellitur: v. g. Aër in Vinum non convertitur, cùm expulso aëre cantharus vino impletur.

CONCL. L.

De Mixtione Substantiali.

SUBstantialem Mixtionem dari suadet Experientia & Ratio. Eam sic definit Aristot: *Est miscibilium alteratorum unio*; Scilicet, quæ uniat formam substantialem Mixti, cum Materia Elementorum alteratorum, secundùm qualitates refractas, & ad certam temperiem redactas. Proinde differt à Generatione Mixtio, ut species à Genere; cùm Mixtio imprimis non sit qualiscunque formæ substantialis, unitio cum materia, sed formæ substantialis Mixti, vel requirentis pro dispositione 4. primarum

marum qualitatum Temperamentum aliquod. 3. Non sit formæ substantialis Mixti unitio, cum materia qualicunque, sed cum materia miscibilium, seu Elementorũ alteratorum. Hinc in rigore loquendò, Generatio Elementi ex mixtis tantùm, item mixti ex mixto, non est mixtio, licet posteriùs hoc, quod generatur, sit mixtũ, latè loquendò.

Ad Mixtionem multa requiruntur. 1. Miscibilia debent esse plura. 2. Debent esse Elementa; in rigore autem ad minimùm, sufficit unum Elementum adesse, secundùm formam substantialem; Cætera secundùm accidentia, quæ sint in uno alterove mixto corpore, cùm Elementari corpore ad Mixtum concurrente: Consequenter debent esse plura non tantùm numero, sed etiam specie; aliòqui quomodo se alterabunt in ordine ad novam formam substantialem, & diversam. Proinde, debent esse mutuò activa. Unius activitas, non debet nimium excedere activitatem reliquorum; alioquin activius in se convertet

vertet alia minùs activa. Oportet accedat insuper motus localis, quo miſcibilia ſecundùm minutiſſimas partes, Mixtione locali dividantur & miſceantur: Item, alterationes reciprocæ, cum paſſione, & repaſſione, actione, reactione; tandem productio formæ mixti.

Sunt autem non formaliter, ſed virtualiter Elementa in Mixto, ratione ſuarum qualitatum prædominantium, abſolutè conſideratarum, prout ſcilicet natæ ſunt ſummum gradum attingere: Unde alia Mixta virtualiter non continentur in Mixto unico; quia primæ qualitates ſecundùm ſe, non natæ ſunt ad illa præcisè temperamenta tendere, ſed ad ſummum gradum, qualiter in Elementis ſunt. In ſilice videtur formaliter fuiſſe Ignis, non ut pars componens, ſed ut inquilinus in poris ejus habitans. Mixtione iam perfectâ, Aqua à Vino ſegregari non poteſt. Cinis, qui ligno vel alijs rebus exuſtis ſupereſt non eſt formaliter terra, ſed mixtum ſubſtantiale diverſum, terræ tamen affine, ſicuti fumus

mus est aëri, aqua distillata aquæ elementari &c.

CONCL. LI.

De Alteratione.

ALteratio est *motus ad qualitatem*; continuus tam quoad extensionem, quam quoad intensionem. Alteratio genericè sumpta, prout abstrahit à connotatione partium qualitatis præexistentium in subjecto, quæ similium partium additione perficiuntur, dividitur in Alterationem simpliciter, quæ prædictam connotationem excludit, & in Intensionem, quæ eandem includit. Intentio definitur: est Alteratio, qua eadem qualitas in eâdem parte subjecti magis perficitur. Non fit per mutationem existentiæ totius, vel etiam per additionem existentiæ partialis, nulla factâ mutatione in entitate Qualitatis. Neque per solius novæ qualitatis indivisibilis additionem, priori minùs

perfectâ itidem indivisibili corruptâ. Neque per majorem radicationem vel unionem *in* vel cum subjecto. Neque per solam depurationem à contraria qualitate, cùm multæ qualitates careant contrario. Et licet in qualitatibus contrarium habentibus, quantum unius ponitur, tantum alterius expellatur: intensio tamen formaliter fit per solam additionem partis ad partem, sive novi gradus, ad gradum qualitatis præcedentem, in eadem parte subjecti. Gradus proinde, qui invicem additi unam efficiunt qualitatem intensiorem, sunt homogenei; neque ex se habent certam subordinationem & oppositionem: sed primus est similis octavo, & quilibet cuilibet, & à quovis secundùm se, quilibet produci potest, & expelli, & quivis alteri additus majorem intensionem facere. Sed dubium est, cùm unus gradus introducitur, quis determinet, ut hic gradus oppositus potiùs expellatur, quàm alius? Ea ipsa causa Prima, quæ determinavit ut ex infinitis possibilibus gradibus

in-

introducendis hic potiùs, quàm alius quilibet introduceretur

Quòd verò eadem qualitas, quæ posita in ligno bipalmati, est intensa, ut *Quatuor*, & minùs operativa, posita in ligno palmari sit intensa, ut *Octo* & magis activa, est ratione diversi modi existendi in subjectò, sicut quòd eadem Aqua, quæ in vase majori posita, medium tantùm implet, si ponatur in minori, implet totum.

CONCL. LII.

De Rarefactione & Condensatione.

CVm Ratum sit *quòd sub magnis dimensionibus*, scilicet in ordine ad locum: *Parùm habet materiæ* Densum verò, quòd *Sub parvis dimensionibus* talibus: *Multùm habet materiæ*. Difficultas est, quid sit actio Rarefactiva, & condensativa? quid pro termino habeât? &c. De quibus quid non sint, non quid sint, clariùs est. Inprimis non est di-

est dilatatio & constrictio pororum vacuorum. Neq; receptio & exclusio subtiliorum rerefactibilium, & condensabilium corpusculorum. Neq; evaginatio partium Quantitatis, latentium intra alias, & Revolutio, sive Reductio illarum intra easdem, cùm sint impenetrabiles. Neque acquisitio & deperditio aliquarum partium quantitatis: neque præcisè acquisitio, vel deperditio localis extensionis; cùm ea possit esse, nec tamen res dici vel esse Rara, vel Densa. Sed Rarefactio formaliter est productio qualitatis cujusdam, quæ dicitur Raritas, & dat rei subjectæ hanc extensionis habitudinem, ut eâdem manente Materia & Quantitate, majorem quàm ante locum occupet, saltèm radicaliter, & secundùm exigentiam naturalem, nam & partes integrantes CHRISTI Dni in venerabili existentis Raritate & Densitate affectus tenemus. Condensatio verò formaliter est productio qualitatis cujusdam, quæ dicitur Densitas, & dat rei subjectæ hanc habitudinem, ut materiâ & quantitate ijsdem

dem manentibus minorem quàm ante locum Radicaliter saltem, & secundùm naturalem exigentiam occupet respondeantque paucioribus partibus loci plures rei locatæ partes. Quare cùm lac vel cera medium pedem occupans, per rarefactionem deinde ad integrum extenditur, noli quærere quomodo id sit possibile? satis est id naturaliter fieri.

CONCL. LIII.

De Corruptione.

Corruptio in genere est desitio formæ in subjecto. Corruptio substantialis est *mutatio*, negativa *totius*, Compositi, in non totum: ita ut ex toto maneat non totum, seu materia affecta privatione formæ. Ejus proinde terminus ad *quem* non est non esse formæ, sed non esse Compositi, seu non esse formæ, substantialis in subjecto; sive formæ pereant, ut fit in corruptione sub-

stantiarum materialium sive non pereant, ut fit in corruptione Hominis.

Axioma illud: *Generatio unius est corruptio alterius*; & contra, *Corruptio unius est generatio alterius*; verum est non in sensu formali, sed in sensu concomitativo: si intelligatur tamen illud de substantialib⁹ Mutationibus, non de accidentalibus tantùm: Differt ab Annihilatione Corruptio, quòd hæc fiat, cùm naturaliter etiam exigitur rei sublatæ Conservatio: illa verò cùm non exigitur, prout fit ablatis dispositionib⁹ Formæ alicujus Substantialis. Accidentia communia Genito & Corrupto, cujusmodi sunt omnia naturaliter separabilia, manent in Genito eadem numero, quæ fuerunt in Corrupto, neque propterea necesse est migrare de subjecto in subjectum, cùm utrinque idem accidentium subjectum permaneat Materia; proinde frustra corrumpentur, ut iterum producantur, præsertim cùm eorum Causa corrumpens, nec Generans sæpe appareat. Itaque subjectum Generationis &

Cor-

Corruptionis non est Materia & prima omnibus accidentibus spoliata; & in Corruptione substantiali, non fit resolutio quoad accidentia, usque ad materiam Primam.

CONCL. LIV.

De Anima in communi.

Anima in corpore duplex habet officium, unum Informandi, alterum operandi. Ut informans definitur: *Actus primus substantialis corporis naturalis Organici potentiâ vitam habentis*; Dicitur Actus, Formalis scil. ut excludatur Materia, quæ est potentia; dicitur primus *intentione* scilicet. Nomine corporis organici intelligitur, non materia prima formis partialibus substantialibus instructa; sed materia

ria prima habens debitum, & juxta exigentiam formæ ſubſecuturæ proportionatum diverſorum accidentium & diſpoſitionum apparatum, ad diverſas vitæ operationes exercendas: per quod excluduntur formæ Inanimatorum: præterea innuitur, quòd tale corpus organicum, etſi nec vitam ſubſtantialem, ipſam ſcil. Animam, nec accidentalem, operationes ſcil. vitales actu habeat, taliter tamen ſit diſpoſitum, ut quantum eſt ex ſe ei utraq; debeatur, id quod nec de cadavere, nec de ſemine dici poteſt.

Anima ut Operans deſcribitur, *id quo* primò vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus. Porrò tria ſunt Animarum jam definitarum *genera*, accepto ſcil. genere, non Logicè, ſed Phyſicè pro eo, quòd diverſum in operando gradum habet. Vegetativum, Senſitivum, Rationale. Quarum diverſitas rectè deducitur, ex diverſo modo operandi ſupra materiam elevato. Quod ſi penes earum ſubjecta diverſitas attendatur, in quibus reperi-

tur

tur unum aliquod operationis vitalis principium, sine alijs, quatuor erunt Animatorum genera: Vegetativi, sensitivi tantùm & non Loco-motivi, ut sunt Zoophyta seu Plant-animalia; sensitivum simul & Loco-motivum, ut sunt bruta; & tandem Intellectivum, ut sunt Homines. Hinc Potentiæ Animæ universim numerantur quinque: Vegetativa, sensitiva, Appetitiva, Locomotiva, Intellectiva. In uno vivente non nisi unica datur Anima; in Plantis quidem Vegetativa, quæ intra idem genus in varias species multiplicatur; in Brutis sensitiva; in hominibus Rationalis. Anima tam Hominis, quàm Brutorum, entitative unica, virtute multiplex est: sicut in Brutis una sentientis & vegetantis; ita in homine unica, intelligentis, sentientis & vegetantis potest functiones exercere. Anima perfectior continet imperfectiorem tàm *eminenter* quatenus inferioris perfectionem excedit, ideoque animali tribuit eos effectus, quos illa, & insuper alios perfectiores;

res; quàm *Formaliter*, non quidem quasi anima perfectiorem secundùm entitatem suam physicam contineat, (perinde ut quidam volunt Elementa contineri in Mixtis) sed quòd tribuat eosdem univocos effectus, quos tribuit imperfectior. Hinc *anima rationalis* informans corpus Organicum reddit illud *formaliter* sensitivum, vegetativum, ac si ipso actu physico vegetantis ac sentientis Animæ informaretur.

Anima Rationalis sola secundùm se totam singulas Corporis partes informat, & in entitate sua indivisibilis est; reliquæ plantarum; & animalium quorumcunq; tam perfectorum quàm imperfectorum animæ divisibiles sunt, etsi perfectorum partes *relictæ* non vivant, propter certarum quæ requirunt, dispositionum, & organorum, quæ in partibus resectis esse non possunt, defectum. Hinc etiam Insectorum animæ si v. g. dividantur transversim vivunt, si in longum, non vivunt. Si Homini manus abscindatur, Anima non ab-

scin-

scinditur, nec retrocedit ad vicinam brachij partem, sed tantùm disinit esse in manu abscissa, amissâ præsentiâ locali, quam habuerat prius, ubi manus erat continua. Eo fere modo, quo homini v. g. in pluribus locis per replicationem posito, si ubi Tyrnaviense auferatur, opus non est, ut Cassoviam redeat, cum hic jam sit, sed tantùm ut cesset alibi esse. Etsi Anima Plantarum & brutorum in diversis partibus corporis; diversas exerceat operationes; ideoque etiam varias organizationes exigat, tota tamen est *homogenea*. Major aut minor operationum perfectio non arguit necessariò inter animas ejusdem speciei inæqualitatem in perfectione substantiali: sufficienter hæc operandi diversitas, in diversitatem organorum, meliorem vel minùs aptam qualitatum Temperiem refunditur. Anima materialis, quamvis homogenea, sicut est radix operationum in eadem parte subjecti incompossibilium, ita essentialiter corpus heterogeneum exigit. Et sicut pars Animæ

non

non est anima totaliter, sed partialiter; ita nec postulat omnem operationem exercere in quavis parte corporis, nec tribuit denominationem *totius*. Si pullus equinus, pro termino suæ parvitatis non postulet plus materiæ & animæ, quàm sit in capite adulti Equi, materia talis capitis divisa à reliquo trunco, cum Anima qua informatur constituet essentiam Equi, postulabitque dispositiones & organa toti Equo debita, quæ ne prius quoque exigeret, determinata fuit ab organis soli capiti proportionatis: Licet quævis Animæ pars secundùm perfectionem suam spectata, quamvis partem corporis formare possit, ob individualem tamen agentis & subjecti determinationem, naturaliter postulat, illam partem informare ex qua educta est.

Vita alia substantialis, quæ est principium per se operationum vitalium, ipsa nimirum Anima; alia accidentalis, principium nempe accidentale operationum vitalium, ut habitus &c. alia in actu primo,

mo, alia in actu ſecundo: ut ipſa vitalis operatio, hæc alia phyſica termini productiva, ut nutritio &c. alia intentionalis ſeu pura in objectum tendentia ſive illa ſit ſenſitiva, ſive intellectiva. Ratio Vitæ in actu primo eſt, eſſe principium perfectionis alicujus ab intrinſeco, per ſe, hoc eſt, ita ut ab extrinſeco, ſaltem naturaliter, res eam habere non poſſit. Hinc non omnis actio aut motus per quem aliquid ſeipſum movet eſt actus vitalis, ut quando lapis ſeipſo ad centrum terræ deſcendit: aut ubi aqua ſeipſam reducit ad ſuum frigus. Sic nec alimenti converſio in ſubſtantiam viventis, quæ fieret ſolùm à Deo: item nec actio per quam agens producit aliquid ad extra ut talis eſt vitalis. Sic Angelus in corpore aſſumpto loquens aut ambulans non dicitur operari vitaliter.

CON-

CONCL. LVI.

De Potentijs vitalibus.

POtentia est principium proximum operationis alicujus, ad quam ex natura sua ordinata est. Nulla est necessitas potentias vitalis animæ realiter distingui ab Anima, & inter se: distinguuntur solùm formaliter, siquidem diversas habent definitiones. Diversa sunt genera potentiarum vitalium, pro diverso Animarum genere. Et *vegetativa* quidem habet Nutritivam & Augmentativam: Anima autem *Sensitiva* habet sensus tum externos quinque, tum internos, cum Appetitu sensitivo qui dividitur in Concupiscibilem & Irascibilem. His accedit potentia locomotiva sive progressiva, sive dilatativa & Constrictiva in eodem loco. Anima rationalis habet intellectum & voluntatem &c. Unde autem potentiæ hujusmodi

modi specificantur? respondeo: Potentias animasticas (uti & omnes alias, quæ per se ordinantur ad operationes & actus) specificari ab ijsdem actibus adæquatis; qui nempe ita adæquant potentiam, ut ultra illos, illa se non extendat; & mediantibus actibus, ab eorundem actuum objectis formalibus, primarijs, adæquatis & per se. Hinc potentiæ non possunt definiri nisi per actus; dicunturque actus esse priores ratione, id est definitione ipsis potentijs; non ordine generationis, sic enim priores sunt potentiæ: nec prout potentia & actus correlativa sunt; sic enim sunt simul; sed quia actus in sui definitione non includunt potentias, potentiæ verò in sui definitione includunt actus; & eodem modo objecta sunt priora actibus, ideoq; actus ab objectis, potentiæ ab actibus, specificantur extrinsecè scilicet seu per ordinem ad terminum. Quinam autem sit actus, seu terminus potentiæ adæquatus, ultra quem non tendit ex particulari singula-

gula-

gularum potentiarum consideratione determinandum est. Quoties videmus, quòd si quis uno privetur actu, privatur etiam omnibus, qui eundem tendendi modum habent: vel quòd si possit unum, possit etiam reliquos, toties dicendum omnes illos actus spectare ad unam eandemque potentiam. Contra verò si quis privetur uno actu, & adhuc possit exercecere alios; vel si unum potest alium verò non, tunc ad diversas specie potentias illos spectare dicimus. Ita quicunq; potest velle, potest etiam nolle, amare, odisse, eligere &c. ergo una est voluntatis potentia, quæ illos actus exercere potest.

Pari ratione, cùm quis privatur visione albi, reliquorum quoque colorum visione caret, & qui videt album, reliquos etiam videt colores, hinc objectum visûs *Color*, & actus proprius adæquatus *Videre*: è contrà cæcus non videt *colores*, *Sonum* nihilominus audit: ergo sonus & color sunt objecta diversa; *audire* & *videre* sunt actus diversi; *visus* & *auditus* sunt diversæ potentiæ.

tentiæ. Potentia Visiva Hominis & Leonis sunt eadem specie *logica*; objectum formale utriusque est idem, & eodem modo immutativum utriusque potentiæ. Omnes tamen actus ejusdem potentiæ, non sunt ejusdem speciei: v. g. *omnes simplices apprehensiones, omnia judicia, omnes discursus* &c. qui actus singuli sunt solùm inadæquatum specificativum potentiæ, sicut visio Albi & visio Nigri.

Potentiæ præterea vitales, aliæ sunt spirituales, & inorganicæ; aliæ autem materiales & organicæ, id est, dependentes ab organo corporeo.

CONCL. LVII.

De Anima Vegetativa.

ANima vegetativa est actus primus corporis organici potentiâ vitam vegetativam

tivam habentis. Ejus potentiæ principales tres tantùm ſunt: Nutritiva, Augmentativa, & Generativa; qui ternarius ex triplici, quæ in Viventibus eſt, indigentia colligitur.

Nutritiva ſuffecto alimento reſtaurat partes humidi, actione caloris perpetuò evaporantes, ne alioquin intereat, cùm vita conſiſtat in calido & humido.

Augmentativa Vivens ad eam, in qua operationes ſuas perfectè exercere poſſit, magnitudinem producit. *Generativa* ipſum Vivens perpetuat, non in ſe, cùm ſit individuum corruptibile, ergo ſaltem conſervando ſpeciem, per ſucceſſivam plurium generationem.

Potentiæ Miniſteriales Animæ vegetativæ hæ quatuor ſunt. I. *Attractiva*, quæ licet in Radice plantarum, & ſtomahco animalium præcipuè vigeat, per totam tamen planram, & Animalis corpus ſpargitur; cùm ad omnes ejus partes alimentum jam præparatum attrahere debeat. II. *Concoctiva* ſeu *Digeſtiva*, vel Alterativa

quæ

quæ alimentum multiplici alteratione, præsertim in ventriculo & Hepate præparat & concoquit, ut in substantiam aliti sit convertibile. III. *Retentiva*, quæ alimentum, cùm id non possit momento alterari, in receptaculis retinet, ne indigestum diffluat. IV. *Expulsiva*, cujus est expellere sordes & excrementa nutritioni inepta. His omnibus Medici addunt aliam in Animalibus perfectioribus; cui tria ab insignioribus operationibus nomina indiderunt, appellaruntque *Naturalem*, quatenus sanguinem Alimentitium in *Hepate* conficit; *Vitalem* quatenus in *Corde* spiritum Vitalem elaborat; *Animalem*, quatenus in *Cerebro* ex vitalibus *Animales Spiritus* sensationibus necessarios attemperat.

Nutritiva ab Augmentativa in re non differt. Eadem actio prout terminatur ad Substantiam, Nutritio est; quatenus terminatur ad eandem ut *quantam* cum tali partium proportione, ut servetur eadem Viventis figura, Augmentatio est propria viventium: Similiter quatenus per

eam Anima præexiſtens, ut fit in Homine, vel nova pars Animæ, ut fit in brutis, & plantis, unitur novæ materiæ alimentitiæ, & ſic Viventi adgeneratur nova Subſtantia, eſt & dicitur *Nutritio*: ut verò per eandem actionem Anima, vel pars Animæ *conſequenter* unitur etiam novæ quantitati alimentitiæ jam continuatæ cum quantitate aliti, & ſic Vivens acquirit novam quantitatem, & formaliter *tranſit de minori ad majus*, eſt & dicitur Augmentatio. Nutritionis *Eſſentia* conſiſtit in unitione Animæ, cum materia Aliměti: *integraliter* ſumpta includit prævias diſpoſitivas alimenti alterationes; &c.

Quantitas & Subſtantia, quando alteri ita adduntur, ut non ſervetur peculiaris forma ac ratio, ſub qua adgenerentur, ut cùm ignis ſibi ignem adgenerat, opus non eſt peculiari potentiâ Augmentativa, ſicut requiritur, quando Virtus converſiva Subſtantiæ poſtulat modum certum, ſub quo fiat additio, ſcilicet, ut eadem figura retineatur. Hinc objectum formale ſpecificati-

cativum *Altricis* seu Nutritivæ est Alimentum Substantiale, in aliti substantiam convertibile. *Auctricis*, est alimentum prout quantum. *Procreatricis* seu Generativæ est alimentum nutritioni superfluum pro ut aptum ad simile vivens generandum. Proinde Arist. dum ait eandem esse potentiam vegetativam, (id est, nutritivam) & generativam intelligendus est solùm ratione identitatis objecti remoti, nempe Alimenti, quod Substantiam esse corpoream necesse est; cùm Accidentia in Substantiam Viventis converti non possint. Ideo nec Sacramentalibus Eucharistiæ speciebus nutrimur, nisi in quantum positis dispositionibus, ad formam aliti sufficientibus, substituit Deus Corpori Christi materiam, quæ informatur formâ chyli, vel Sanguinis. Deinde alimentum non omninò simile esse debet, neque omninò dissimile. Proinde Elementa pura, cùm habeant qualitates in summo, quibus mixta Viventium corpora carent, aptum esse alimentum non possunt. Ex his definiri.

Potentia Nutritiva potest; *naturalis facultas Viventis convertens alimentum in Substantiam aliti.* Objectum ejus *Alimentum* duplex est; *Proximum*, quod immediatè convertitur in substantiā aliti. *Remotum*, quod indiget concoctione, antequam convertatur; Ne *odores*, nec *elementa*, nec *Lapides*, nec *Metalla* nisi fortè in minutissimos pulveres contusa, & potione aliqua temperata nutritioni sunt apta. Imò nec *Vinum* nisi permixtum alijs cibis, aut dulce ac crassum, ut mustum &c.

Alimentum *proximum* Animalium sanguine præditorum, est *Sanguis*, non quasi reliqui *humores primarij* nihil planè conferant ad nutriendum vivens, sed quòd seorsim accepti, & *puri* seu non permixti sanguini non deserviant nutritioni. Quatuor sunt humores primarij, *Sanguis*, *Pituita*, seu Phlegma, flava bilis, seu *Cholera*, & atra bilis, seu *Melancholia*, qui non sunt meræ qualitates, sed vera corpora physica perfectè mixta, & inter se distincta. *Pituita* nullum proprium in corpore Organico

recep-

receptaculum habet, ſed cum ſanguine quaquaverſum in venas diffunditur. Humores ſecundarij, à Sanguine non niſi accidentaliter diſtincti quatuor etiam ſunt: *Humor Sanguineus Ros, Cambium*, Gluten. Dum autem dicimus ſanguinem eſſe alimentum proximum, loquimur de alimento communi omnium partium corporis, non autem de alimento partis alicujus ſingularis. Ventriculus ergo non nutritur chylo, ſed ſanguine attracto per venas è jecore ad ipſum directas.

Probabile eſt, Sanguinem priuſquam in ſubſtantiam aliti vertatur, converti in quatuor humores ſecundarios. In *Humorem ſanguineum*, in poris *venularum capillarium*, in quibus ſanguis albeſcit. *Rorem*, cùm ingreditur partium nutrientarum ſuperficiem; *Cambium*, quando intra earundem poros concreſcit; *Gluten*, cùm ſit viſcoſior, intimiùs partibus nutriendis adhæreſcens. Quos omnes, cùm probabile ſit, nec inter ſeſe, nec à ſanguine ſubſtantialiter differre, ideò adhuc ſimplici-

ter dici potest sanguis alimentum immediatum omnium partium.

Sic autem se habet *nutritionis* processus. Cibus ore susceptus dentib⁹ commolitus, & irrigatus saliva, quam linguæ radix & glandula suppeditant, per Oesophagum mittitur in ventriculum, cujus calore coquitur, & vertitur in chylum; qui concoctus per Pylorum, seu inferius ventriculi orificium detruditur ad intestina; quorum flexuoso anfractu perficitur: & hæc prima concoctio dicitur *chylosis*. Ex intestinis tenuioribus, chylus per venas mesaraicas, ex cavo Hepatis ad intestina per Mesenterium sparsas, ad Hepar attrahitur; hic in *chymum* (qui congeries est quatuor humorum) vertitur, & paulatim sanguis à reliquis tribus humoribus separatur, quorum fæculentiores partes, in sua quoque vasa se recipiunt. Hæc secunda concoctio *chymosis* vocatur. Sanguis denique primùm venâ cavâ exceptus, & à vicino in arterijs spiritu perfectus, & à partibus corporis omnibus attractus, capillares venas

subit,

fiabit, & in dictos humores primùm, tùm in ſubſtantiam viventis vertitur.

Harum omnium operationum inſtrumentum eſt *calor*: iſque univerſim duplex; *Inſitus* unus, *Influens* vel adventitius alter. *Inſitus* ſubdividitur in *Elementarem*, qui ſcil. ſingulis partibus, ex intrinſeca elemẽtorum mixtione ineſt; & *Vitalem*; qui proprius eſt cuique membro, & à primo ortu inſitus, ſuſtentaturque in *humido radicali*. *Influens* dicitur, quòd è corde ad cætera membra influat: & dividitur in *naturalem* qui craſſior eſt, & nutritioni ſervit: *Vitalem*, qui tenuior eſt, & per arterias cum ſpiritu diffunditur; *Animalem*, qui temperatus in cerebro, ad motum & ſenſum efficiendum per nervos diffunditur. Omnes tamen hi calores ſunt ejuſdem rationis.

Controvertitur inter Philoſophos & Medicos de *Vitalis caloris* fonte. Nos, ſi de vitali calore, ſingulis membris, in primo ortu inſtillato, ſermo ſit, nulli certo membro ejus originem adſcribimus. Sin

de Calore Influente & Adventitio; *Cor* utpote Spiritûs & ſanguinis officinam caloris fontem ſalutamus. Hinc in perturbationibus animi, præſertim timoris, Calor ad Cor recurrit; hinc perpetuus in corde pulſus, in arterias quoq; derivatus. Eſt autem Cor principium ſanguinis non inchoati illius & imperfecti, qui fit in hepate, ſed perfecti & ultimi; non quòd ſanguis ex hepate in Cor, & inde per venas diſtribuatur, ſed quia mediante *ſpiritu* in corde genito, & in arterijs venas comitantibus ſparſo, ſanguinem perficit. Spiritus hic aliud non eſt, quàm puriſſimꝰ ſanguis, tenuiſſimus ac ſubtiliſſimus & calidiſſimꝰ: isq; triplex quemadmodum & Calor. *Vitalis* ſcil. in corde genitus, & inde ex ſiniſtro ſinu beneficio Arteriæ magnæ ac Venoſæ in reliquum corpus diſpenſatus, ad fovendum calorem vitalem. *Animalis*, in Cerebro; *Naturalis* in Hepate.

Imò & Venarum Arteriarumq; principium Cor ſtatuimꝰ cum Ariſt. quod membranâ tenuiſſimâ *Pericardium* dicta, cingitur

tur & involvitur; quæ certo intervallo undiq; distat humore repleta, ut Cor quasi innatare putetur: ex cujus humoris abundantia cordis palpitatio nascitur: est autem maximè necessarius ad cordis calorē temperandum. Duos habet sinus, quos inter mediat septum pluribus foraminib⁹ pertursum, ut per illa sanguis ex dextro in sinistrum meare possit. Ex quovis latere duo Vasa procedunt: ex dextri superiore parte *Vena Arterialis* alimentum pulmonibus deferens; ex inferiore *Vena Cava* utraque de vehendo sanguini destinatæ; Arteriæ totidem: ex sinistri superiori parte prodit *Arteria magna*, seu *Porta*; ex inferiori *Arteria venalis*, devehendo spiritui.

Vivens toto vitæ tempore nunquam cessat ab aliqua operatione ad nutritionē spectante, ab ipsa tamen nutritione *formaliter*, quæ est adgeneratio ipsa alimenti cessat aliquando.

Nutritionem antecedit *Fames* & *Sitis*. *Fames* formaliter est appetit⁹ calidi & sicci, id est alimenti. *Sitis* autem appetitus

Humidi & frigidi. Per calidum non intelligitur, id quod omninò parum frigidum est, sed quod frigus in tali proportione conjunctum habet, ut à calore viventum facilè superari possit. Fames oritur ex dolore à divulsione ventriculi excitato: Sitis ex vellicatione facta in ventriculo, æsophago & faucibus.

Cùm autem *Humidum radicale* nunquã possit perfectè resarciri, inde fit ut vita perpetuari non possit. An autem fructus *Arboris vitæ* conservaturus fuisset hominẽ in statu invocentiæ immortalem naturaliter, controvertitur.

Mortem definit Arist. *extinctionem caloris* quæ descriptio est causalis tantùm. Formaliter mors est *Privatio vitæ*. Unde *mors* formaliter una eademque est in omnibus. Causaliter est vel naturalis vel violenta. *Naturalis* ea solùm propriè est, quæ ab extincto præ nimiâ senectute calore, absumptoq; humido radicali oritur; & ab Arist. *marcor* dicitur. Violenta verò omnis illa, quæ ex quavis alia caussa nascitur. Mortis

præ-

prænuntius est morbus, nempe intemperies primarum quatuor qualitatum in corpore animalis impeditiva functionum viventis. Morti opposita *Vita* describitur ab Arist. permansio, seu conjunctio Animæ vegetantis cum calido: id est cum corpore habente calorem naturalem, residentem in humido. *Sanitas* est temperies primarum qualitatum in animali apta ad omnes vitæ functiones. *Respiratio* nihil aliud est, quàm attractio & emissio aëris in Animali, per pulmones & asperam arteriam facta ad cor refrigerandum. Index *Sanitatis* & *Morbi* est motus Cordis & Arteriarum, qui *Pulsus* dicitur; quo Cor & Arteriæ, modò ex calido tumescente dilatantur, seu elevantur; & *Diastole* dicitur: modò calore detumescente ad pristinum Situm contrahunt sese; & *Systole* vocatur. Sed nota, cùm *Cor* dilatatur, *Arterias* comprimi; cum cor comprimitur illas dilatari.

CONCL. LVII.

De Anima Sensitiva.

ANima sentiens, est *actus primus corporis naturalis organici, potentiâ vitam sensitivam habentis.* Sensus non est potentia merè passiva; sed activa simul & passiva: prout recipit species ab objecto, & actum sensationis immanentem, passiva est: prout eundem actum elicit, activa. Definitur sensus in communi: *potentia vitalis cognoscitiva materialis & organica.* Dividitur ratione organi latentis vel apparentis, in Sensum *externum* & *internum.* *Sensatio* est, actus vitalis ab animali elicitus per potentiam sensitivam, circa objectum sensibile. Sensibile aliud *per accidens*, aliud sensibile *per se*; illud ratione alterius, cum quo conjunctum est; hoc per seipsum percipitur:

hoc

hoc duplex eſt, *proprium* & *Commune*: illud uno, hoc pluribus ſenſibus ſub eadem ratione percipitur. Quinq; numerantur ſenſibilia communia; *Magnitudo*, Figura, Quies, Numerus, Motus, ad quæ alia revocantur. v. g. *unitas, aſperum, læve, obtuſum, acutum, diſtantia, ſitus, rectus, curvus,* &c.

Senſibile *Commune* non ſentitur per ſpeciem propriam & realiter diſtictam à ſpecie ſenſibilis *Proprij*. ſed percipitur per ſpeciem ipſius ſenſibilis ut ſenſibilia propria tali vel tali modo immutent ſenſum: e. g. motus vel quies adjuncta colorato faciunt ut coloratum videatur in motu vel quiete &c. quantitas facit, ut videatur in tanta quantitate. Viſio enim fit per *Pyramidem radioſam*, ſeu ſpeciem viſibilem ad inſtar Pyramidis ex objecto ſparſam, cujus baſis ſit in ſuperficie objecti, vertex verò ſeu cuſpis in centro oculi. Unde neque res non *quanta* neque non ſufficienter *quanta* videri poteſt: *illa* non poteſt eſſe baſis Pyramidis radioſæ: *hæc* non facit Pyrami-

dem cujus angulus ſit proportionatus angulo verticali oculi. Major proinde vel minor *quantitas* modificat rem viſibilem, quatenus per illam variatur baſis Pyramidis, conſequenter ſpecierum tranſmiſſio, adeoque viſio.

Senſibile *proprium* & *commune* per unicā ſpeciem & per modum unius objecti ſentiuntur: nec ſenſibile commune, ſine proprio, nec hoc ſine omni prorſus *communi* per ullam potentiam percipi poteſt & cùm variatur *commune* remanente *proprio*, manet quidem ſpecies quoad entitatem, perit tamen quo ad modum. Quod docet Philoſophus Senſum non decipi circa ſenſibile proprium, intelligendum eſt de ſenſili proprio adæquato primario & in communi alicujus potentiæ: v. g. circa *colorem & lumen*, quà talia, non poſſe decipi viſum: poteſt tamen falli colorem, quà nigrum, &c. idque ex defectu debitæ diſpoſitionis in organo & medio. Sic febricitanti res dulces amaræ videntur, propter organum guſtûs humore bilioſo infectum

ſic

ſic res per viridia conſpicilia viſæ, apparēt virides: Sic oculi Aurigine laborantes, cærulea putant viridia, ob tranſparentem bilis flavedinem, quæ cum cæruleo viridē componit. Circa ſenſibile *commune*, tam in communi, quàm in particulari decipitur ſæpius: e. g. In *motu*, *quiete*, *numero*; ut cùm Solem quieſcere; & navigantes, navem in qua vehimur, ſtare; littora verò moveri putamus. In *quantitate*, ut cùm aſtra exigui inſtar orbiculi apparent, ob nimiam pyramidis radioſæ, in tanta diſtantia tenuitatem. In *diſtantia*, ut cùm nocturni ignes viciniores videntur, quàm ſint; eò quòd ſpatium interjectum, ob affuſas tenebras videri non poſſit. In *Situ*, ut cùm Horizon altior videtur, eo quòd propter nimiam diſtantiam ab oculo, in eadem, qua oculus eſt altitudine ſpectetur; cùm attolli magis magisq; videantur ea, quæ remotiora ſunt. *In figura*; ut cùm Turres & id genus ſtructuræ angulares, circulares videntur, ob nimiam diſtantiā, qua tenues angulorum extremitates oculū fugiunt &c.

Pro-

Proprium autem ſenſibile debet eſſe *accidens ſingulare, materiale, actu extenſum.* Unde nec ſubſtantiam, nec Univerſalia, nec Spiritualia nec materialia ſpirituali modo vel definitive exiſtentia naturaliter ſenſu percipere poſſumus; imò de poſſibili quoque *repugnat potentia materialis cognoſcitiva rei ſpiritualis*; propter improportionem, quæ eſt inter potentiam materialem & objectum ſpirituale.

Neceſſarium inſuper eſt, ut ſenſibile per ſe *actu exiſtat, præſens ſit, diſtinctum atq; ſenſui extrinſecum.* Nemo proinde ſenſu percipit objectum vel nondum exiſtens, vel jam præteritum, vel nimis remotum, vel impeditum: (etſi divinitùs hæc non repugnent) vel ſuammet audit auditionem.

Species intentionales ſenſibiles probabiliꝰ admittendæ ſunt, quas Philoſophus formas vocat ſine materia. Producuntur ab objectis ſenſibilibus *uniformiter difformiter* per totum medium. Sunt qualitates materiales, eductæ è potentia ſubjecti, ac proinde extenſæ diviſibiles. Dicuntur *imma-*

terialia

teriales respectivè, id est non ita materiales & quasi crassæ, sed subtiliores & magis proportionatæ potentiæ cognoscitivæ. Dicuntur *forma absq; materia*, id est materialitate & quasi crassitie, quæ in ipsis objectis sensibilibus reperitur. Dicuntur *Intentionales*, tum ut distinguantur à qualitate reali purè sensibili: tum quod ea mediante Anima in objectum intendat. Dicuntur *divisibiles* tam extensivè, quàm intensivè, tam in ordine ad subjectum, quàm ad objectum: nimirum, habent species in *repræsentando* partes; una non repræsentat idem quod altera, sicut nec quælibet pars speciei producitur à qualibet parte objecti, sed certa pars speciei à certa parte objecti, quàm idcircò solùm repræsentat. Et sicut à solo objecto producuntur, ita ab eodem continuò conservantur, quamvis non improbabile sit species ab alijs quoq; speciebus produci & sine objecto conservari posse. Recipiuntur eædem partim in *Medio*, partim in *organo* partim etiam in ipso sensorio.

Sicut

Sicut per cognitionem Voluntas & per hanc Loco-motiva potentia ad actum determinatur absque influxu effectivo, ita ferè *species impressa* concurrit ad sensationem non effectivè, sed ut conditio applicans ad objectum, ceu passum potentiæ tanquam agenti; adeoque sicut objecta præcisè *terminant*, ita species objecti vicariæ tantùm determinant.

CONCL. LIX.

De Visu.

VIsus est, *potentia organica tantum perceptiva lumen & colorem*; adeoq; objectum ejus est *lumen* & *color*. Est autem *Lumen*, non corpus, nec effluxus corporis, nec forma substantialis sed qualitas: non habet esse tantùm intentionale quasi solùm sit species Lucis repræsentativa; sed reale. Definitur ab Arist. per effectum suum formalem: *Actus perspicui, quatenus perspicuum est:* cui opponitur *Opacum*. Co-

lor

lor ab eodem definitur motivus ejus quod eſt actu perſpicuum, id eſt diffuſivus ſpeciei per diaphanum actu illuminatum. Unde licet ſit color qualitas realiter diverſa à Lumine, in ratione tamen viſibilis completur per lumen. Et quia color non niſi per aërem illuminatur, hoc ipſo quod objectum eſt illuminandum, illuminari etiã debet aliqua pars aëris medij.

Lux, Lumen, *Radius*, *Splendor*, non differunt niſi ratione ſubjecti aut connotati alicujus. Eadem qualitas *Lux* dicitur prout inhærens corpori connaturaliter lucido: *Lumen* verò prout reperitur in alio ſubjecto, per actionem ad extra. *Radius*, prout corpore lucido egreditur per lineam rectam: & ſi ab illo rectà ſine impedimento feratur, dicitur *Rectus*: ſi incurrat in corpus opacum, & velut geminetur, *Reflexus*: ſi è medio raró in denſum e. g. ex aëre in aquam *fractus*; ſi denuo ex denſo in rarum, dicitur *Refractus*. Splendor denique ſeu Fulgor maximè fit in corpore opaco, ad quod reflectitur lumen,

non

non quidem per unam tantum lineam rectam, sed in omnem partem, & velut in Sphæram.

Organum proprium Visus est *Oculus*, in qua autem hujus parte Visio fiat non convenit inter opticos. Probabilius est Visionem proximè & formaliter fieri in Tunica Retina, quæ humorem vitreum complectitur & terminat, in qua sola radij visuales ita sunt collecti & coordinati ut objecta distinctè percipi possint.

CONCL. LX.

De Auditu.

AUditivæ potentiæ Organum est *Auris*, in cujus *Tympano*, seu membrana foramini auris obtensa, quæ *Myringa* dicitur, fit *Auditio*, non verò in nervo, ossiculis, vel aëre interno. Quî autem fit, quòd à nativitate surdi plerumq; sint etiã muti? an quia nerv⁹ auditori⁹ *Quintæ cõjugationis*, per duos surculos tum in Auris membrana, tum in

in Linguam & laryngem inseritur, & Canaliculus quidam, ex ea foraminis parte, ubi aër internus est, ad os usq; & palatum protenditur?

Objectum ejus proprium & adæquatum est *Sonus*, qui est qualitas secunda, ad corporum collisionem ex aëre resultans; per se motiva Auditus. Dividitur in tres maximè species, nempe in *Loquelam*, *Vocem*, & *Bombum*, essentialiter inter se diversas. Singulæ earum continent sub se *Echonem*, quæ est resonantia quædam, seu reflexio ipsius soni, ad obstaculum facta. Causa efficiens soni est, *Impulsus*, à quo etiam conservatur; cum quo, cæteris paribus, exurgit & interit. Subjectum ejusdem est, tam corpus elisum, quam corpora collidētia. Effunditur Sonus quoquoversum in sphæram, eo proportionaliter modo, quo circuli jactu lapidis, in Aqua è centro ad omnem loci differentiam, continuatâ serie producuntur. Consonantia est *Acuti Gravisque* Soni mixtura, quæ svaviter sensum Auditus afficiat. Unde sonorum proportio, secundum diffe-

differentiam Acuti & Gravis, & harmonicam proportionem, corporum ſonantium, juxta certam materiæ homogeneæ quantitatem, aut qualitatem colligitur; ut patet in longitudine, & intenſione Nervorum, Tibiarum, Organorum. Foraminibus, &c.

Quòd *Sonus* ſit talis videlicet *Acutus* vel *Grauis*, pendet ex undationibus ſeu tremoribus, velociter, vel lentè incitatis. Acutè ſonat chorda, quæ pulſata uno momento quaſi, plures undationes generat. Cauſa cur tales ſoni ſint conſonantes eſt: quia conſonantes habent tremores, proportionatos magis vel minùs, pro ratione conſonantiæ. Si verò tremores ſint longè diverſi, & non niſi poſt lõga intervalla, ſimul conjugantur, Aërem & Aurem perturbant, quòd eſt diſſonare. Si duæ chordæ ſint conſonantes, & una tangatur, movebitur non ſolùm illa, ſed trement etiam illæ, quæ eidem chordæ ſunt uniſonæ, & conſonantes.

Echo non reſonat tantum ex cavis & anfra-

Aufractuosis locis, verùm etiam ex tabulatis planis & solidis, ac tersis corporibus, cujus modi parietes sunt domorum, & muri civitatum: aquæ fluminũ, puteorum, quæ sunt quasi planum speculum vocis, reflexivum ad angulum reflexionis æqualem angulo incidentiæ: Servari proinde aliqua distantia debet, ut vox reddatur distinctè: sicque aiunt distantiam circiter 24. pass: esse necessariam, pro una syllaba; alioqui simul plures confunderentur, pro dissyllaba 46. pro trisyllaba, 70. ferè. Multiplex Echo fit, quando plura sunt reflectentia in diversis distantijs ab eodem sonoro: Qui duos parietes sibi invicem parallelos, ad distantiam 63. circiter pass: construeret, & ex unius, unica fenestra ad alterum, vocem dissylabam inclamaret, imò trigesies & amplius repeti pro majori vel minori vocis contentione.

CONCL. LXI.

De Odoratu.

ODORatûs, adæquatum objectum est, *Oder*, qui non est substantia exhalata, sed *qualitas* secunda, ex certa temperie primarum orta, sicco prædominante, olfactum naturâ sua movens. ***Medium*** est ***corpus tenue***, per quod diffunditur odor tam realiter. quàm intentionaliter.

Organum proprium *Odoratûs*, ab omnibus assignantur *Nares* Odoratio verò proximè fit in processibus seu carunculis mamillaribus earumq; membranis; cùm non appareat alius illarum finis, & partes illæ nervosæ sint, ac spiritibus plenæ, adeoque aptissimum pro Odoratu medium. *Odor* bonus fit ex sicco & calido, ut in Rosis. Malus ex calido & humido, ut in putri cadavere. Alij per se delectant sine respectu ad Saporem, ut patet in multis floribꝰ, qui licet odoris sint svavissimi, saporis tamen

men

men amarissimi. Alij verò conjuncti sunt cum Sapore, quorum sensus maximè inest Brutis, per solum olfactum discernentibus alimenta sibi congrua.

CONCL. LXII.

De Gustu.

Gustus proprium & adæquatum, objectum est *Sapor*, qui est qualitas secunda patibilis, gustum afficiens, ex temperie primarum orta, prædominante humido. Medium externum nullum datur, (nullus si quidem sapor distans sine contactu percipi potest) dantur tamen *species gustabiles* intentionales, in organo, per medium *internum* transfusæ, quales in omnibus sensibus probabiliùs admittendas censemus. Organum seu Sensorium Gustûs est *lingua & Palatum*: gustatio verò fit tantum in *cuspide linguæ* ubi nervi gustatorij concurrunt, ex cerebro descendentes, ac per totam linguam & palatum diffunduntur, ut

Sapor linguam penetrans per nervos ad ejus radices ſitos cerebro communicetur. Siccâ exiſtente linguâ (ut in validâ ſiti) nihil Guſtus percipit; ideò in omni perfecto Animali vapores è ventriculo exhalantes, intra oris concavitatem in ſalivam colliguntur, linguamq; irrigant perpetuo: cui rei poroſitas linguæ bene ſervit. Additæ inſuper ſunt *glandulæ* duæ *Tonſillæ* dictæ, ſpongioſæ quoque, ſalivam in Linguæ uſum ſemper foventes.

CONCL. LXII.

De Tactu.

Senſus Tactus eſt diſperſus per totum corpus. Proprium tamen & immediatum Organum ejus ſunt Nervi à cerebro, & membranæ ex nervis per totum corpus propagatæ. Differt à Guſtu tum objecto, quòd illius ſunt *qualitates tangibiles*; huj⁹ *Sapores*; tum quia organum guſtus eſt ſola lingua, Tactûs, totum corpus. Medio

exter-

externo caret etiam Tactus: at non *interno*, per quod species intentionales ad ipsum transfunduntur, quibus ipsi objecta proportionantur, perinde ac in alijs sensibus. Ex his patet: Omnes sensus externos sentire medijs *speciebus intentionalibus*: Omnes sentire per medium aliquod. *Auditus* per aërem internum: *Visus* per humorem albugineum. Gustus per *Salivam*: *Odoratus* per ossa spongiosa. *Tactus* per cutim. Licet autem homo quinq; externis sensibus polleat, tamen.

Nos Aper Auditu, Lynx Visu, Simia Gustu,
Vultur Odoratu, præcellit Aranea Tactu.

CONCL. LXIV.

De Sensu interno.

PRæter 5. sensus Externos datur *Sensus internus*, re & specie Unicus, propter objecta & actus tantùm inadæquatos, qui non sufficiunt ad multiplicationem potentiarum. Idem tamen officio & denominatione multiplex est: nam quatenus

præsentes externorum Sensuum sensationes, & eorundem objecta cognoscit, & imperfecto quodam judicio inter illa discernit, *Sensus communis* dicitur: ut verò objecta à sensibus externis actualiter non amplius cognita percipit, *Phantasia* appellatur; ut ea, quæ in re divisa sunt, componit, e. g. ex auro & monte, aureum montem *Imaginativa* dicitur: prout circa hæc omnia etiam præterita versatur, conservando earum species, *Memoria Sensitiva* nominatur. Objectum itaq; adæquatum Sensûs interni est objectum sensibile commune & proprium sensuum externorum, eorundemq; sensationes. Sensus internus æque ac externus, indiget speciebus ad cognoscendum: imò sicuti est essentialiter perfectior ipsis sensibus externis, ita perfectioribus eget speciebus: producuntur ab ipsis speciebus expressis sensus externi, & quidem in genere causæ principalis æquivocæ, tam ipsam sensationem, quam objectum hujus repræsentantes. Probabiliùs est non dari species *insensatas*, id est,
tales,

tales, quæ per sensus externos non percipiuntur; & omnia commodè explicari possunt sine his. Ad convenientiam & disconvenientiam percipiendam sufficiunt species sensatæ. Negationes & Privationes percipit sensus internus *materialiter* tantùm, in quantum cognoscit objectum suum habere negationem ulterioris extensionis &c. Non percipit durationem sensationis, neq; sensationem ipsam formaliter, ut præteritam, aut ut præsentem neque suas proprias sensationes reflexè; hoc enim supra potētiam materialem esse videtur & soli intellectui proprium. Sedes illius & Organum non est *Cor* sed *Cerebrum*.

CONCL. LXV.

De Appetitu Sensitivo.

SEnsui interno respondet intern⁹ appetitus sensitivus in omnibus Animalibus, qui communiter definitur: Potentia organi-

ganica in Corde residens & inclinans in bonum sensu cognitum, atq; refugiens malum contrarium. Quæ prout versatur circa sensibile bonum vel malum absolutè dicitur *Concupiscibilis*: prout fertur in idē bonum quatenus arduum, ac difficile, dicitur irascibilis; estq; idem realiter appetitus, sicut eadem voluntas ad utrumq;. Actus hujus potentiæ numerantur undecim: Tristor, Amo, Cupio, Delector, Abominor, Odi, Despero, Irascor, Timeo, multum Audeo, Spero. Appetitum sequitur in Animalibus potentia *Locomotiva*; in Nervis & musculis residens, quâ animal dirigente Intellectu vel Phantasiâ, & impellente appetitu ad obtinenda convenientia, & fugienda noxia, motum progressivum exequitur. Hinc Cerebro Spirituum animalium Sède, malè affecto (e. g. per Vertiginem aut Crapulam) membra mox concidunt, aut certè titubant, & vacillant. Obstructo autem membri alicujus nervo, mox illud tam motu quàm sensu privatur; ut in Paralysi & Apoplexia videre est.

CON-

CONCL. LXVI.

De Anima Rationali.

EST Anima Rationalis quo *ad essentiam*, Actus primus corporis naturalis organici, potentiâ vitam rationalem habentis. Quam esse formam informantem humani corporis, & ex natura sua spiritualem, immortalem, à solo DEO creatam, non unam in omnibus hominibus, sed in singulis singulas, sine ulla Metempsychosi, nemo Christianus Philosophus dubitare potest. Veriùs quoq; existimamus, omnes animas rationales, etiam quoad differentias individuales, esse ejusdem prorsus perfectionis. Inæqualitas operationis, ingenij &c. provenit ex dispositione inæquali organorum, crassitie & tenuitate sanguinis, spirituum &c.

Inter Animæ rationalis potentias emi-

net Intellectiva & Volitiva. Intellectus *Agens* à *Possibili* distingvitur tantùm ratione. *Agens* dicitur prout species impressas intelligibiles producit in Intellectu Possibili, ipsi utpote potentiæ ex se indeterminatæ necessarias, & quia spiritualis est, proportionatas; quæ ut sint rerum etiam sensibilium repræsentativæ, ad eas producendas concurrit etiam phantasma instrumentaliter. Dicitur proinde Intellectus agens illustrare phantasmata, quatenus producit speciem intelligibilem dependenter à phantasmate ut objecto. Intellectus dicitur *Possibilis* prout Verbum mentis, seu speciem expressam producit. Pro objecto suo *Terminativo* habet quodvis verum intelligibile, seu Ens latè sumptum, in quod Intellectus quomodocunq; fertur, sive id cognoscat per species proprias, sive per alienas. Objectum *Motivum* in hac vita solum est Ens *Sensibile*, quod per proprias species ad sui cognitionem intellectum movet: In altera vita omne illud, cujus species ei à Deo infunduntur.

Anima

Anima corpori unita, etiam post species acquisitas non intelligit sine phantasmate; quia Intellectus ad omnem conceptum indifferens, nullum inhoare potest, nisi per informationem phantasmatis, in eodem supposito inhærentem determinetur; Sensus externus positâ specie, nisi aliunde impediatur, necessariò exit in actum: nam cùm non nisi ab uno, eoq; præsente objecto moveri simul possit per speciem, quæ & *in fieri* & *conservari* dependet ab objecto, determinatur ad objectum præsens actu percipiendum. E contrà Phantasia & Intellectus, quia naturâ sua sunt capaces plurium specierum, nec omnium actualis usus haberi potest, ob vim cognoscendi finitam, hinc necessariò ad exercitium certæ speciei postulant insuper aliunde determinari, & quasi excitari. Phantasia alia atque alia repræsentare solet, pro ratione spiritûs animalis turbulenti aut placidi, pro dispositione humorum in Corpore, determinatione sensationum externarũ, aut ex propria operandi virtute, quâ po-

test ex uno phantaſmate, ob quandam objectorum affinitatem aut oppoſitionem, ad alterius rei jam olim cognitæ tranſire notitiam; & ita præit Intellectui, ut etiam ille objecta apprehendat, ſuper ea diſcurrat & dijudicet. Unde Senſus & Phantaſia ſunt velut *Apparitores* objecta intelligenda adducentes: Intellectus verò quaſi Prætor ſententiam ferens. Ab Intellectu non diſtinguitur *Memoria Intellectiva*, cujus actus quilibet eſt de objecto jam cognito, & ex cognitione jam præhabita procedens. Etſi autem ſpecies ex ſe ſemper maneant, non tamen ſemper quoad uſum; cùm ſæpè ex defectu phantaſmatum, nequeant exire in actum, ſine quibus nullus actus memoriæ, uti nec ulla intellectio fit in hac vita. Contingit proinde *oblivio* ex imperfectione organi, ratione cujus phantaſmata, & imagines rerum vel omnino evaneſcunt, vel ita conſopiuntur, aut importuno acceſſu obruuntur, ut in actum memoriæ prodire nequeant. Hinc ſenibus quia habent organa duriora & ſicciora, ob frigus ætatis,

ac

ac proinde minùs apta recipiendis phantasmatis, & aptiora perdendis, memoria vacillat, uti & nimis iuvenibus, ob nimiam humiditatem, qua fit ut imagines facilè diffluant, instar figuræ à sigillo impressæ in aquam.

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 1. Radicem intellectualitatis constituit *Immaterialitatem*; quia immaterialitas est principium alicujus operationis, at non potest esse alterius quàm intellectionis. Consistit autem conceptus Immaterialitatis in eo, quod est *ens primò per se quantitatis incapax, vel à tali ente in fieri independens*: Materiale verò quod est, ens per se primo quantum, vel à tali dependens, ut ex inductione constat. Hinc inferimus, impossibile esse compositum ex materia & forma spiritualibus; cùm materia eo ipso quòd esset Spiritualis foret principium intellectionis, adeoq; esset actus & non potentia pure passiva.

Principium *Cognoscitivum* necessariò inferre appetitivum docet S. Tho. idque ex natura principij cognoscitivi, cujus finis

est proponere cognoscenti objecta amplectenda vel fugienda ad sui conservationẽ.

Ut Intellectio eliciatur necesse est, inquit Philisophus, *intelligentem phantasmata speculari* ut ita modus *operandi* proportionetur modo *essendi* quem anima pro statu hujus vitæ dependenter habet à Corpore. Verbum Mentis duplicem dicit habitudinem essentialem, unam ad Intellectum, à quo efficitur (quæ est relatio effectûs ad causam: alteram ad objectum, quod repræsentat, & hæc est mensurabilis ad mensuram relatio; adeoq; Verbum mentis *re* una qualitas, ratione duplex est, scil. Verbum mentis, a qua dicitur, & verbum sui objecti quod significat: eo ferme modo, quo etiam verbum vocale est verbum oris, quo exprimitur, & verbum rei quam exprimit. Probabile est, posse dari cognitionem reflexivam supra seipsam, ita ut sui ipsius sit cognitio. Cognitio intuitiva est qua objectum attingitur non instar alterius objecti à se distincti. Abstractiva seu non intuitiva est, qua objectum instar alterius

à se

à se distincti cognoscitur. Id autem instar alterius cognoscitur, quod apprehenditur quasi simile illi, vel indutum accidentibus illius, instar cujus cognosci dicitur. Comprehensiva cognitio est, clara omnium rerum notitia, quæ formaliter vel eminenter in objecto reperiuntur: seu quādo cognitio adæquat ipsi⁹ cognoscibilitatē, esto forsan ab alio adhuc clariùs cognoscatur.

CONCL. LXVII.

De Voluntate.

VOluntas est *Appetitus rationalis, tendens in bonum & fugiens malum ratione apprehensum.* Sequitur voluntas cognitionem intellectivam, sicut Appetitus sensitivus sensitivam. Objectum illius materiale est Ens latissimè sumptum; formale verò bonum & malum. In Objectum bonum formaliter *ut bonum* potest voluntas tantùm *actu prosecutionis* ferri: & in malū formaliter ut *malum* actu fugæ. Nemo re-

spici-

spiciens ad malum operatur; etiam is qui cupit se annihilari, id non sub ratione mali ultimò, sed sub ratione boni cupit.

Ad omnem voluntatis actum, requiritur aliqua Intellectus operatio, quâ objectum voluntati proponatur: *Ignoti nulla cupido.* Voluntas in operando ab Intellectu, naturaliter dependet, tanquam proponente objectũ, ab objecto tanquam *Fine* sibi proposito; hæc tamen objecti propositio, non habet se per modum principij effectivi, aut motivi formalis, sed tantùm per modum conditionis, formale motivum applicantis. Voluntas ut *simplici* complacentiâ in objectum feratur, sufficit simplex apprehensio, ut patet experientia: ut verò efficaciter, prudenterq; appetens debet *judicare*, ac scire rem possibilem esse, & per media obtineri posse. *Intentio*, est actus voluntatis, quo efficaciter tendit ad finem, per media consequendum. *Electio*, est actus voluatatis, quo ex duobus aut pluribus medijs, unum præ alio amplectitur, ad finem obtinendum. Objectum Electionis debet

debet esse aliquid, quod à nobis fieri potest. Omnis Electio formalis, essentialiter attingit motivum Intentionis: & per hoc distinguitur ab intentione, quòd objectum suum nempe *Medium* non respiciat *propter ipsum*, sed *propter aliud*, videlicet propter finem. Potest voluntas eodem actu velle formaliter & expressè media propter finẽ, & finem ipsum, non tantùm tanquam objectum amatum *Vt quo* sed *ut Quod*, ita ut talis actus sit propriè intentio & electio realiter; & dicatur Electio quatenus respicit media propter finem: Intentio, quatenus respicit finem propter seipsum.

Libertas in actu primo seu liberum arbitrium est potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere. Libertas in actu secundo, sive actum esse liberũ, est denominatio extrinseca provenies ab indifferentia potentiæ talem actionem producentis: adeoq; ille actus est liber qui positis omnibus ad illũ requisitis potuit esse & non esse: & ille est necessarius, qui procedit à principio nõ indifferente ad actum & negationem illius.

CON-

CONCL. LXVIII.

De Habitibus.

HAbitus in genere (prout convenit non solùm Habitibus acquisitis, qui dant solùm facile posse: Sed etiam supernaturalibus, à DEO infusis, qui dant potentiæ simpliciter posse operari) est qualitas potentiæ vitali superaddita, illam perficiens in ordine ad operandum. Habitus verò acquisitus, est qualitas permanens, seu difficile mobilis acquisita per actus, & ad similes actus inclinans, quam dari in nobis probat experientia. Quæ facilitas, non est ipsis actibus intrinseca, sed extrinseca denominatio à potentia habitu informata: Porrò facilitas, quam in potentia Locomotiva, post frequentatum motum in saltantibus, & Cytharas pulsantibus, cernimus, vel negationi, seu remotioni impedimenti in illis antea existentis tribui potest, vel habitui in Imaginativa acquisito. Et probabiliùs est habitus naturales nullos dari distinctos à speciebus relictis

ab

ab actibus præteritis. Hinc inferimus: In sensu interno & appetitu brutorum non dari habitus distinctos à speciebus impressis & phantasmatibus. Nullum verò sensum externum indigere Habitu, neq; ilios habere posse ad productionem suarum sensationum, quas ita elicit sensus; ut non possit semel in actu primo ad illas constitutus eas non elicere. In Intellectu quoq; non dari habitus distinctos à speciebus rememorativis. Probabile esse in voluntate etiam non dari habitus distinctos à speciebus intelligibilibus actuum experimentalium. Ex his patet 1. quomodo producantur habitus immediatè ab ipsis actibus intellectûs & voluntatis. 2. quomodo intendantur per additionem gradus ad gradum. 3. quomodo extendantur habit⁹, in quantum se extendunt ad plura objecta, circa quæ potentiam facilitant, quod fit per productionem specierum plura objecta repræsentantium. 4. quomodo habitus distinguãtur & diversificentur pro diversitate objectorum tam formalium, quàm materialium, & his similia.

DIS-

DISPVTATIO ETHICA.

QUÆSTIO PRIMA.

DE

Passionibus in Communi.

CONCL. I.

Quid sit Passio?

PAssio lato modo accipitur pro quacunq; receptione, quamvis subjectum non mutetur: hoc sensu intellectio juxta Philosophum est passio, & *intelligere quoddam pati.* Propriè tamen & in rigore passio sumitur pro receptione conjunctâ cum corruptione alicujus præexistentis in passo, eidemq; juxta exigentiam connaturalem permanenter uniti: Sic ægri, vulnerati, dementes propriè dicuntur pati dum per vulnus, aut ægritudinem Sanitate Corporis, aut rationis connaturaliter debita privantur. Affectus verò appetitus sensi-

ſensitivi dependentes ab Organis corporeis licet ſecundum ſe immediatè transmutationem Corporis non inducant, ſed cauſaliter ſolùm mediante cordis atq; thoracis dilatatione, aut Contractione, è quo velut radice vitales motus in animali profluunt, paſſionis tamen nomen ſortiuntur ab effectu videlicet effuſione atq; reductione ſanguinis, quæ ad quemlibet affectum Senſitivum neceſſariò conſequitur, & Varias in corpore cauſat alterationes. Ob contrariam rationem Operationes appetitus rationalis non vocantur paſſiones, utpote independentes à Corpore: neq; Operatio partis apprehenſivæ qua ſolùm mediante affectu appetitus Senſitivi vel vel per accidens, propter nimiam intenſionem, aut debilitatem Organi, aut confluxum Spirituum Vitalium cauſat corruptionem cerebri aut aliam in Corpore ægritudinem propriè paſſio dici poteſt. Solus igitur affectus appetitus ſenſitivi deſumptus ab effectu, quem producit immediatè, paſſionis nomen meretur.

CON-

CONCL. II.

De Divisione Passionum.

PAssiones sive affectus appetitus Sensitivi in duas Classes universaliter & genericè dividuntur, quorum alij ad appetitum concupiscibilem, alij ad irascibilem referuntur: prioris generis Sex nimirum amor, odium, concupiscentia, fuga, delectatio, tristitia, totidemq; posterioris generis sequenti Ordine numerantur, Spes desperatio, audacia. timor, ira, mansuetudo, de singulis inferiùs agemus. Porrò divisio hæc passionum à specifica objecti diversitate originem ducit; quidquid verò appetitui sensitivo objicitur vel bonum, vel malum est, idemq; secundùm se præcisè velut præsens aut absens consideratur, si primum causabit objectivè affectum amoris si bonum sit, si verò malum, affectum odij; Sicut bonum absens concupiscentiam, malum verò absens fugam excitat.

Quod

Quod si bonum sit præsens delectationem parit, si malum præsens tristitiam. Cum præterea alia detur formalitas tenens se ex parte objecti quæ est arduitas sive difficultas, sub qua objecta appetitui sensitivo diverso modo occurrunt, eundemq́; movent ad affectus pugnaces diversi etiam specie à prioribus juxta varietatem bonitatis & malitiæ earumq́; respectu difficultatis habitudinem affectus causantur. Ac proinde, si bonitas in objecto bono ac arduo maior est ardivitate, sive difficultate superandi, tunc spes consurgit, si minor oritur desperatio. Deinde, vel malitia in objecto Carduo per apprehensionem sensitivam proposito major est, difficultate vincendi, & concitatur audcia, vel minor, tunc timor ingravescit. Ponamus iterum malum arduum esse præsens sed cũ difficultate auferibile, in eo casu, si arduitas non excedat vires passis affectus iræ erumpet, si excedat, succedet mansuetudo. In quantum jam recensitos affectus complectitur appetitus sensitivus appellatur irasci-

irascibilis ab ira videlicet magis universali in hominibus affectu: Reliqui autem sex affectus potentiæ appetitivæ concupiscibilis denominationem tribuunt, quod affectu concupiscentiæ, id est, appetitu bonorum absentium ut plurimum homines laborent.

CONCL. III.

De Malitia Passionum.

QUæstio in præsenti, non est de morali, sed Physica solùm bonitate, & malitia passionum, quæ ex se moraliter, nec bonæ, nec malæ sunt; utpote à potentia necessaria immediatè procedentes, sed mediatè solùm, in quantùm voluntatem liberam cum advertentia rationis actu bonæ vel malæ dici possunt. Omnis passio, deturbat animam à statu suo connaturali, & transmutationem corporis inducit. Neque tamen ex eo semper sim-

simpliciter est mala, sed aliquandò, secundùm quid mala est, & simpliciter bona, prout diverso secundùm complexionem naturalem indiuiduò inest: sic delectatio sangvineo, propter abundantiam sangvinis, & Copiam Spirituum vitalium, simpliciter nociva & mala esse potest, eademque melancholico aut phlegmatico ob defectum sangvinis, & nativi Caloris bona simpliciter, & secundùm quid mala erit. Contingit præterea tam vehementem invalescere passionem, ut per qualecunq; rationis ac liberæ voluntatis imperium in instanti tolli nequeat, cujusmodi passio etiam cum exercitio liberi arbitrij moraliter mala non erit. Quemadmodùm passiones illæ, quæ antevertunt usum rationis & motus primò primi nominantur moraliter, nec malæ, nec bonæ sunt. Quapropter vera est opinio Philosophi, asserentis rationem appetitui sensitivo, præesse non Principatu despotico, qualis est Domini ad servum; sed Politico, qui subditis inclinationem, & electionem non impeditam,

O quo

quo ad aliquos actus relinqui. *Quòd verò Homini in primo statu collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, & Anima Corpus, non fuit ex virtute principiorum naturalium, sed ex virtute originalis justitiæ ex divina liberalitate superaddita.* Thesis est Sancti Thomæ Aqu: 2. quæst: 25. A. 7.

QUÆSTIO II.

De Passionibus in Particulari.

CONCL. I.

De Amore.

AMor est actualis propensio appetit⁹ Sensitivi tendens in bonum sensibile secundum se eidemq; animal coaptans. Amor alius est amicitiæ, alius concupiscentiæ, alter tamen ab altero realiter inseparabilis sola ratione distinguitur. Vera igitur est Philosophi de amore definitio,

nitio, quod *amare sit velle bonum alicui*: l. 2. Rhet. c. 4. in principio to, 6. Et quidem bonum quod amatur relatè ad alterum, amatur amore concupiscentiæ; id verò in cujus gratiam bonum illud respectivum diligitur, amatur amore amicitiæ, estq; id, cui vult amans bonum amatum amore concupiscentiæ. Ex quo apparet nullum dari actum amoris qui rationem formalē amicitiæ & concupiscentiæ non complectatur. Objectum amicitiæ potest esse id solùm quod rationē animalis aut rationalis participiat, Concupiscentiam verò etiā inanimata cujus modi sunt divitiæ, honores, dignitates, & reliqua bona temporalia ad usum humanum relata inter quæ etiam animalia bruta & Servi, subditi, &c. respectu Domini censentur, possunt terminare.

Effectus amoris est. 1. mutua affectuum concordia dolere cum dolente, gaudere cum gaudente, &c. ecstasis, qua amans assidua cogitatione à se ipso & objectis aliis abstrahitur. 3. Zelusive appetitus vehe-

mens removendi ea, quæ amori obstant. 4. Tristitia cum res amata est absens. Omnium præterea aliarum passionum quæ ab appetitu eliciuntur causa est amor; Similiter in operationibus externis quidquid agitur amore alicujus boni agitur, Ex parte verò corporis & subjecti causat effusionem sanguinis è corde promanentem, & rarefactivam Spirituum vitalium affectus amoris.

Præcipua amoris vis consistit in unione mutua amantis cum amato, eaq́; duplex est affectiva sive intentionalis, & realis seu physica: illa, si ab amore amicitiæ procedat, unit amantem cum objecto amato, constituendo illud tanquam centrum sui, eiq́; omnia ut sibi ipsi volendo. Hinc apparet summum amoris motivum esse ipsũ amorem identificum; videturq́; oblitus sui, omnemq́; amisisse sensum ac intelligẽtiam ad modum stipitis aut feræ, qui potest non amare verum ac sincerum amatorem sui. Physica unio amoris amici proveniens ab intentione & affectiva unione,

cum

eum per identitatem realem implicet, consistit in communicatione frequentis cum Amico colloquij, Secretorum revelatione, beneficiorum largitione, quâ amic9 amico conjungitur. Id verò quod ordinatur ad utilitatem propriam non amatur amore amicitiæ sed concupiscentiæ. Ex quo rursum liquet, quam rari sint inter quos vera & sincera amicitia intercedat, non in solo privato bono, sed æque in utilitate amici fundata. Causa amoris objectiva plerumq; solet esse similitudo naturæ, morum, virtutis, officij; conditionis, sanguinis affinitas. Figulus Figulum odit & Mercator Mercatorem ob impedimentum alterius boni majoris quod sibi à consimili imminet.

CONCL. II.

De Odio.

ODium est Vitalis appetitio & intentionalis aversio ab eo, quod malum &

disconveniens naturæ animalis æstimatur. Duplex est Odium, unum inimicitiæ, abominationis alterum: illo volumus inimico malum, hoc verò aversamur & repellimus malum ab objecto amato. Ea, quæ non sunt capacia amoris amicitiæ, uti sunt res inanimatæ, divitiæ, &c. Non possunt terminare odium inimicitiæ. Servum tamen Dominus odio inimicitiæ & abominationis aversari potest.

Amor & Odium non modò formaliter ex parte objecti, sed etiam in effectibus ac modò causandi sibi sunt oppositi. Amor dilatat cor physicè per effusionem sanguinis, idemq; emollit, intentionaliter verò adaptat passum objecto; ex opposito odium indurat & cõngelat animum per reductionem Spirituum Vitalium ad cor, à quo penitus objectum intentionaliter excludit. His tamen non obstantibus amor est caussa odij, in eoq; virtualiter continetur.

Implicat ut idem seipsum odio habeat formaliter, potest tamen odisse per accidens & materialiter: Consequenter In-

sensu

sensu illo Sacri Textus: Ps. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*, & altero *Qui odit animam suam, in vitam aeternam custodit eam* Explicamus cum S. Thoma. 1. 2. q. 29. a. 4. ly *Odium* per accidens sive materialiter non autem formaliter & per se.

CONCL. III.

De Concupiscẽtiæ.

Concupiscentia interdum significat desiderium, quod ab appetitu rationali procedit, interdum quamcunq; appetitionem boni, propriè tamen ac in rigore ut contradistincta à reliquis affectibus concupiscentia est passio movens appetitum sensitivum ad consecutionem objecti sensibilis absentis. Duplex est Concupiscentia alia naturalis alia innaturalis, hæc fit cum discursu & comparatione intellectus, illa apprehensionem sensitivam duntaxat præsupponit, & est communis, hominibus & brutis.

Motus ad actiones externas executivas

boni concupiſcibilis cauſantur per ſe ab affectu Concupiſcentiæ, per accidens verò ac mediatè actus interni, qualis eſt delectatio &c. ab eadem profluunt, in quantum nempe realis boni præſentia à concupiſcentia dicitur, ac memoria præteriti laboris in bono ſenſibili quærendo. Similiter actum amoris, ſpei, triſtitiæ, iræ &c. tanquam media ad præſentiam objecti delectabilis accommodata intendit, & cum ejuſmodi affectibus & medijs ſicut amor actu quandoq; perſeverat.

Cauſa objectiva concupiſcentiæ eſt abſens bonum, ex parte ſubjecti Sanguinea complexio aut cholerica Spiritibus vitalibus abundans ac inſtar aëris ad proſecutionem objecti facile mobilis. Aliquando voluptates præteritæ habent vim excitandi concupiſcentiam propter experientiam boni delectabilis ſucceſſivi quod per partes inſufficiens eſt ad explendum appetitum. Quamvis ex alia parte apud Sapientem ejuſmodi voluptates, dum propudioſæ & nocivæ animo cognoſcuntur concupiſcen-

piscentiam ac desiderium sui minuunt vel penitus extinguunt.

CONCL. IV.

De Abominatione.

Abominatio sive fuga est passio removens appetitum à malo absenti: opponitur directè concupiscentiæ tum ratione objecti, tum per causalitatem producendo effectus eidem oppositos, quales sunt externæ actiones removentes objectum malum absens, ne præsens fiat. Affectus hic æquè practicus & activus est quàm concupiscentia, & subjectum ad affectus tristitiæ ac iræ facile disponit. In morosis ac melancholicis passio hæc ut plurimum prædominatur ex imaginatione frequenti objectorum naturæ suæ disconvenientium.

CONCL. V.

De Delectatione.

DElectatio ad appetitum ſenſitivum, gaudium ad rationalem proprie ſpectat, aliquando tamen ob ſimilitudinem objectorum, à quibus uterq; actus ſpecificatur fit mutua in uſu terminorum confuſio. Eſt autem delectatio paſſio tendens in objectum præſens delectabile ſecundùm ſenſum, quietativa animalis, in qua tanquam motu terminativo appetitus ſenſitivus quieſcit: ad eum modum quo lapis extra centrum poſitus primùm per inclinationem intrinſecam deinde per motum realem extrinſecum appetitu innato in centro ſuo conſtitutus tandem ſubſiſtit, nec amplius movetur.

Per accidens tamen ob nimiam intenſionem aut debilitatem Organi, non omnino quietat ſed perturbat animal delectatio in eoq; varios morbos ipſamque mortem inducit. Quod in ijs apertè accidit, qui in riſum

risum atq; lætitiam nimiam effusi repentina morte concidunt. Dilatat nimirum delectatio Cor in eoq; non modo affectivè ac intentionaliter, objectum delectabile recipit, verùm etiam ad ejus præsentiam effuso per venas sanguine atq; Spiritibus vitalibus totum corpus exhilarat: cujus profusionis vehementia persæpe cerebrum & reliqua corporea organa nativo calore non leviter opprimit, perturbat, & cor exangue relinquit. Quamvis autem delectatio per se sit quietativa animalis, nihilominus propter experimentum præsentis delectabilis ad aliud simile objectum absens quærendum, & consequenter ad motum concupiscentia aliquando excitatur. Caussa Delectationis ex parte subjecti est apprehensio prævia boni præsentis, ad Cujus intensionem crescit Delectatio, quod etiã in reliquis affectibus usuvenit. Dispositio ad hanc passionem proxima est abundantia caloris & sanguinis; Signa externa sive effectus, sunt vultûs affabilitas risus, lætitia, rubor in explicata facie. Solet ta-

men causare delectationem in magnificis, si quidem gratitudinem à beneficiarijs sperent, elargitio munerum, quæ in avaris utpote malum præsens boni possessi privativum tristitiam causant: Similiter in magnanimis memoria periculi aut alterius mali superati delectationem parit, in quãtum imaginationem præsentis virtutis propriæ difficultatem superantis aut Divini auxilij etiamnum propitij excitat.

CONCL. VI.

De Tristitia.

TRistitia, sive dolor est passio tendens in objectum malum præsens nullo modo vitabile saltem pro eo instanti, perturbans ac inquietans animal. Tristitia partis sensitivæ, dolor rationalis propriè affectus est, hic tamen juxta communem acceptionem dolor & tristitia pro eodem accipitur. Opponitur hæc passio delectationi circa idem objectum quemadmodũ affirmatio & negatio: indirectè tamen

quæ-

quælibet tristitia delectationem minuit ob dispositionem eidem contrariam quam causat in corpore retrahendo spiritus vitales Specierum impressarum gerulos, adeòque ipsas species per effusionem Sanguinis rarefactas, quò minùs objectum majus delectabile repræsentent, coarctando & condensando. Sicut è contrario omnis delectatio tristitiam minuit puta musica, jucunda conversatio, unctio, consolatio amicorum, quod amorem illorum erga nos cum voluptate agnoscamus, lachrymæ quibus exoneratur & liberatur caput ab humoribus, somno, quo melior dispositio naturæ in corpus inducitur, & maximè contemplatione veritatis quâ animus mirificè recreatur.

Duplex in animali dolor sentitur externus & internus; Improbabilis autem est eorum Opinio qui asserunt dolorem corporis externum consistere in sensu tactus; Verior autem est D. Thomæ Sententia quod dolor omnis sensitivus tam extern⁹, quam internus in actu interno appetitus

ſenſitivi conſiſtat, cum eo tamen diſcrimine, quòd externus dolor procedat ſimul ab aliquo malo corporis externo per ſenſum exteriorem cognito qualis eſt percuſſio punctura, aut alia corporis læſio; Dolor verò internus in ſolo affectu ſitus ſit procedente ab imaginatione præcisè interiori. Ob hanc rationem gravior eſt dolor exterior quàm interior.

Triſtitiæ ſive doloris ſpecies quatuor cenſentur, miſericordia de malo alieno reputato tanquam ſuo, invidia de bono alieno reputato tanquam malo proprio, anxietas ſive anguſtia græcè ἄχος eſt triſtitia proveniens ex apprehenſione fugæ impoſſibilis circa malum præſens, Affect⁹ acediæ qui & ab anxietate ratione objecti formaliter non diſtinguitur, ſed ſolo effectu ſtupore videlicet membrorum, quem inducit. His quatuor ſpeciebus triſtitiæ etiam quinta addi poteſt pœnitentia de malo præterito in memoria præſenti.

Affectus triſtitiæ multa per ſe animo & corpori incommoda infert, & quemadmodum

modum juxta Sapientem Prov. 17. 22. *animus gaudens ætatem floridam facit, ita Spiritus tristis exsiccat ossa.* 2. Impedit operationes animæ tristitia, dum spiritibus vitalibus membra animalis privat & cordis motum in quo vita animalis potissimùm consistit, impedit per nimium spirituum confluxum. Hinc immobilitas linguæ, manûs, & omnium membrorum stupor in tristibus non raro enascitur, inde etiam perturbatio mentis, mania, & præterea ad exequendũ munus inhabilitas. Laudabile igitur est vitare immoderatam tristitiam; moderata verò operationes animæ non adeò impedit, quin imò in ijs, qui copiâ sanguinis & nativi caloris referti facilè mente distrahuntur, ad contemplationem veritatis animum applicat; præcipuè tristitia spiritualis, qua voluptates corporis reijciuntur, & de hac cum veritate dicitur: Eccl. 7. 5. *cor sapientum ubi tristitia est & cor stultorum ubi lætitia.* Causa tristitiæ ex parte subjecti est apprehensio intensa mali præsentis, dispositio humor melancholicus,

diu-

diuturna rei desideratiæ absentia & sæpè numero delectationes præteritæ, quæ pauperiem, aut aliud detrimentum salutis tam corporis quàm animæ inducunt.

CONCL. VII.

De Spe.

SPes est passio tendens in objectum absens & arduum cujus bonitas præponderat arduitati. Bruta licet futurum ut futurum non agnoscant, eliciunt nihil omninus affectum Spei, proposito per apprehensionem sensitivam objecto bono futuro in causa præsenti, cum qua connaturalem connexionem habet: ita spe prædæ lupus ovem, milvus Columbam insequitur.

Effectus Spei intrinseci præcipuè sunt amor & delectatio, amor quidem circa objectum quod ad consecutionem finis intenti sperantem adjuvat, delectatio verò ex causa præsenti apta ex se finem speratum causare. Transmutatio corporalis istius passionis ab ea, quam causat delectatio,

tio, non multùm discrepat. Defectus experientiæ circa difficultatem quæ obviat in quæsitione objecti est sæpè causa Spei, sicut è contra experientia difficultatis suborituræ spem minuit. Hinc Juvenes sunt bonæ Spei, sed inconstantis, facilèq; ab ea occurrente arduo ante non præcognito recedunt: Senes verò tardiùs spem concipiunt in concepta tamen diutius perseverant. Vigor ætatis & caloris nativi copia in juvenibus etiam origo sunt celerioris Spei.

CONCL. VIII.

De Desperatione.

DEsperatio est motus appetitus Sensitivi removens passum à difficultate boni ardui quæ bonitatem objecti superat. Cōsistit in actu positivo. Quemadmodum causa spei sunt omnia vera quæ augent efficatiam mediorum ad finem obtinendum uti sunt divitiæ, vires Corporis, consanguineorū autoritas, affectus amicorū &c.

ita viciſſim ad deſperationem facilè diſponunt egeſtas, ægritudo Corporis, perſecutio gravis hoſtium &c. niſi aliunde vires corporis & animi virtus ac pietas in Dei auxilio fundata his malis reſiſtant. Triſtitia proximè diſpoſitiva eſt ad deſperationem. Signa & effectus deſperationis ſunt Operatio, quæ objectum ſperabile reſpicit, intermiſſa, pallor in vultu, tædiū & languor Corporis, nauſea rerum oblectabilium, nonnunquam ægritudo gravis, mania & mors ſpontanea. Deinde revelare, ſive Eccl. 27. 24 *denundare amici myſteriis deſperatio eſt animæ infelicis*.

CONCL. IX.

De Audacia.

AUdacia eſt paſſio tendens in objectum malum difficulter ſuperabile, cujus malum præponderat difficultati. Affect⁹ iſte haber ſe ad ſpem ſicut inſtrumentum reſpectu principalis agentis, differtq; ab ea per

per respectum ad solas vires audentis, dum Spes aliena etiam auxilia quibus innititur præter vires proprias respicit; ita miles audet pugnam & sperat victoriam.

Audaces, cùm sint calidioris naturæ, magís etiam sunt operativi, tremere nihilominus quandoque solent manibus vel pedibus aut inferiori labro in ipso periculi aditu ob apprehensionem mali terribilis, vi cujus revocatus ad cor sanguis cætera membra calore nativo aliquamdiu destituit, verùm spirit⁹ illos vitales eo solùm fine resumit, ut cum majori impetu ad repellendum malum & patrandam terribilium victoriam illas effundat Excitant & causant audaciam ex parte subjecti complexio cholerica & sanguinea, æstus juvenilis partim propter caloris abundantiam, partim ob defectum experientiæ; verùm talis audacia objectu majoris difficultatis nullo negotio frangitur, Animalia Arist. l. 3. de partibus Anim. c. 4. quibus cor est in minori quantitate & facilè spiritibus vitalibus repletur, cujusmodi in Leone existit,

istit, præterea illa, quæ majori sunt pulmone prædita, propter copiam sanguinis inibi retentam & subinde in corpus redundantem sunt audaciora; illa verò quæ angustos pulmones & majus cor à natura sunt timidiora sunt ut lepus & cervus. Vinolenti cæteris audaciores sunt, in quibus sanguis calore extraneo accenditur & apprehensio periculi minuitur. Ij etiam, ut inquit Philosophus l. 2. Rhet. c. 5. audaciores sunt qui rectè se habent erga Divina. Desperatio tamen Militis juvat aliquando audaciam, dum Victoriâ desperatâ totas in conservandam vitam, avertendum periculum vires convertit.

CONCL. X.

De Timore.

Timor est passio removens appetitum sensitivum ab objecto malo arduo, cujus difficultas præponderat malitiæ. Alius est timor Ignaviæ, alius Diffidentiæ, ille

auda-

audaciæ hic Spei opponitur: timor ignaviæ ex debilitate ſive defectu propriarum virium per imaginationem propoſitâ oritur, & poteſt ſtare cum actu Spei, timor verò diffidentiæ provenit ex carentia auxilij exterioris, ideoq́; Spem propter oppoſitionem objecti, à quo Specificatur, ſecum non compatitur.

Præter allatas timoris ſpecies ſenaria datur illius diviſio. 1. Segnities orta ex gravi laboris fuga, vires excedentis. 2. Verecundia, eſt timor de læſione famæ, propter operationem turpem jam tranſactā. 3. Erubeſcentia, reſpicit operationem etiam turpem, ſed nec dum actu poſitam, verùm animo ſolùm deſignatam. 4. Admiratio, quæ eſt deſperatio quædam in indagando naturam, cujus principia, non exitu cognoſcuntur. 5. Stupor qui provenit à primo inſolitæ rei obtuitu, ac imaginatione 6 Agonia, quæ occurrente difficultate vires paſſi exſuperante, retrahit intellectū ab inveſtigatione mediorum repellendo idoneorum.

Trepidationem Corporis, cauſat timor, ac

ac præterea per eum revocantur Spiritus vitales in sanguine residentes ad cor, indeq́; in partes inferiores corporis sine termino, qui calore suo ad ejectionem excrementorum juvant & urgent pavidum: Sicut audacia maximè activa est, ita è contra timor operationem impedit animæ, & corpus immobile reddit, moderatus nihilominus timor ad propositam difficultatem vires animæ applicat, atq; ad attentionem multùm conducit.

Præter rationem objectivam timoris aliæ Causæ extant tenentes se ex parte subjecti cujusmodi sunt complexio phlegmatica, aut natura senio debilitata; inde est quod Senes quaslibet mali umbras pertimescant, & vehementer suspiciosi sint. Malum occultum magis timetur quam manifestum, & consequenter astuti & tardi ad iram magis timendi sunt, quam cholerici; Probabilis tamen est Cornelij Taciti Sententia, affirmantis cholericos, qui ignei sunt, terribiliores esse, tam quoad vires corporis, quam ingenij celeritatem, adeoq́; magis timendos.

CON-

CONCL. XI.

De Ira.

IRa est passio tendens in objectum malũ præsens difficulter vitabile, movens appetitum ad reddendum malum pro malo. Arist. ait iram esse *appetitum ultionis cum dolore propter apparentem immerito vel in se vel in suos contemptum.* l. 2. Rhet. c. 2. Inde est quod affectus iræ non qualicunq; malo hosti illato, qualis est Sententia judicis aut pœna gravior remittat, sed ea solum vindicta, per quam propria virtute æqualitas ponitur inter malum sibi illatum & hosti redditum subsidat. Hinc potissimum duella originem ducunt, quod læsus excellentiam & magnanimatem sibi derogatam aliter vindicare ex æquo non possit, nisi per vulnus aut necem propriâ manu lædenti illatam: Differt Ira ab Odio, tum per præsentiam obecti, quam respicit, tùm quòd Odium sine termino in omnimodam destructionem objecti odibilis feratur, audacia

dacia verò ſola retributione mali æqualis contenta ſit. Verùm licet bruta formaliter comparationem iſtam inter æqualia mala vel inæqualia per diſcurſum facere non poſſint, amant tamen propriam excellentiam, cujus privationem ægrè ferũt & apprehendendo ſimile privationis malum illud ex adverſo in hoſtem reijciunt.

Paſſio hæc univerſalis eſt & aliorum affectuum effectus, quorum ſingulos præcipuè verò Amoris, Spei, Audaciæ, conceptus inadæquatè licet & rationem formalem in ſe continet.

Cholericos Philoſophus alios *acutos*, alios *amaros* alias *difficiles* nominat; per acutos ſubintelliguntur ij qui vehementiùs & citiùs iraſcuntur, ſed inſtar flammæ mox in affectu iræ evaneſcunt. Amari à diuturnitate iræ, quæ diutius appetitum exaſperat nomen habent; Difficiles imaginatione continua malo præſenti inhærent, nec valent mentem alio deflectere.

Affectus Iræ delectationem maximè parit, ut ait Philoſophus: cit. loco. *Ira*

mulio

multò dulcior melle distillante in pectoribus virorum gliscit. Alios præterea reliquarum passionum effectus in transmutatione Corporis imitatur ira, maximè verò audaciæ, de qua Superiùs dictum est.

Causa Iræ sunt confluxus plurium affectuum, qui in uno iræ affectu, tanquam Torrente passionum conveniunt; præterea ex parte subjecti humor cholericus, ex parte objecti verò maximè contemptus, quo crescente ingravescit ira præcipuè in ijs, qui majoris sunt excellentiæ. Miseri quidem citò irascuntur, verum tristitiam magis quam audaciam cum ira conjunctam habent. Ex quo ultra colligitur motum iræ concitari non posse nisi adversus eum qui injuriam intulit: oritur nihilominus quandoq; ira præceps ex prava imaginatione dum calamus aut quodlibet aliud instrumentum, ad usum inhabile ex ira confringitur; cujusmodi phantastica imaginatio in Canibus apparet, dum verberati lapidem aut stipitem mordent, aut etiam in Infantibus, qui alliso in murum capite lachrimantur, contuso verò pugnis

pariete quasi ad refusam injuriam conticescunt.

CONCL. XII.

De Mansuetudine.

Mansuetudo est passio removens appetitum à vindicta, tendensque in objectum arduum præsens vindicabile, cujus difficultas superat vires passi. Non est pura privatio iræ ut multi existimant, mansuetudo, sed consistit in actu iræ opposito; distinguitur verò à tristitia, quæ respicit, malum nullo modo auferibile, per vindicabilitatem objecti, à qua specificatur, quamvis malo præsenti pejorem. Causæ & Effectus mansuetudinis ijdem ferè sunt qui tristitiæ. Alia ab imbecillitate, sive defectu apprehensionis, alia denique, & quæ maximè quidem laudabilis est, à virtute ac imperio rationis nascitur.

CONCL. XIII.

De Remedijs Passionum in Communi.

Passio.

Passiones seu Affectus appetitus sensitivi, quos cum animalibus ratione carentibus communes habemus, ideo investigantur & cognoscuntur, ut medium ijsdem & remedium adferatur: nam cum ex se indifferentes sint ad bonum vel malum, possunt Instrumenta esse tam virtutum quàm vitiorum, prout à voluntate libera benè maleve diriguntur. Erronea igitur est opinio Stoicorum, asserentium omnes passiones esse malas; vera autem Sententia Peripateticorum, qui passiones mediocres laudabant ut bonas, eas verò, quæ à mediocritate recederent, reprobabant ut malas. Porrò cum mediocritas ista ponderetur per respectum ad finem, in quem humanæ actiones diriguntur finis autem hominis alius sit Civilis, sive Politicus ac immediatus, alius ultimus ac supernaturalis qui est ipse Deus; consequens est, passiones humanas aliter prout finem Civilem, & aliter quatenus supernaturalem respiciunt in mediocritate esse ponderandas. Pro utroque deliberatio-

nis genere passim leges extant, tum sacræ de Virtutibus supernaturalibus, tum Politicæ de instituenda honestè Vita Civili, quas tractare hoc loco singulas nostri non est Instituti. Id verò primum, necessarium ac universale passionum remedium est apprehensionem, circa quam occupatur passio, tollere per imperium rationis phantasiam ad alia objecta determinantis; qua perseverante affectus appetitûs sensitivi utpote potentiæ necessariæ non potest non subsequi; alterum est passionem longiori morâ non sinere invalescere, sed in principio statim eidem resistere: Auget nimirum apprehensionem passio speciem impressam objecti dilatatando, & apprehensio vicissim mediantibus speciebus rarefactis objectum majùs repræsentando appetitui sensitivo affectum in eo intensiorem excitat, utraq; verò se ipsam auget dispositiones sibi faventes in sensorium inducendo. Unde contingit non rarò passionem adeo invalescere ut in instanti tolli non possit, sed cum aliqua mora temporis,

poris, aliquando penitus non. Tertiò juvabit eam in rem complexionem proprij individui, ejusq; naturalem in affectus inclinationem secundum temperamentum qualitatum cognoscere, & passiones cum imaginationibus variare, ad eum modum quo corporis valetudini meliùs consulitur, dum alternatim calida & frigida, humida & sicca eidem adhibentur, ne qua prædominante qualitate organa motus vitalis corrumpantur. Quartò media extrinseca quæ contrarias passioni dispositiones in corpus inducunt utilia erunt; ita tristitiæ & alijs affectibus qui mali sunt aversativi, jucūdæ distractiones sive corporis sive animi opponendæ sunt, præcipuè verò contemplatio veritatis in iis quos studia & scientiæ speculativæ delectant; delectationi verò alijsq; boni prosecutivis affectibus dolores corporis externi & labores pro remedijs adhibendi sunt, & sic de cœteris.

CONCL. I.

Ex Metaphysica.

METaphysica propriè dicta Scientia, pro objecto considerat Ens ut ens, quod significat cùm ipsum *Esse*, tum Existere. Essentia physicè sumpta est primum ac radicale principium omnium operationum ac proprietatum, quæ rei conveniunt. Metaphysicè seu per ordinem ad nostrum concipiendi modum, est primus rei conceptus, seu sine quo res concipi non potest, adeoque primum constitutivum & distinctivum rei ab omni alio. Existentia verò dicitur id quo res est actu.

Hinc

Ens ut sic definitur, *cui non repugnat existere.* Creatura possibilis antequam producatur nullum habet esse reale. Petrus igitur (par ratio est de quolibet alio) non existens, dicitur hic & nunc possibilis, quia prædicata illa quæ in Petro concipiuntur, non sunt illativa contradictionis; sive, quia

quia si Petrus existeret nulla inferrentur contradictoria, id quod verum de Chymæra non est.

Existentia non distingvitur realiter ab essentia: essentia possibilis est existentia possibilis, & essentia actu est actu existētia.

Passiones Entis in communi Unum, Bonum, verum formaliter enti nihil positivum & distinctum superaddunt. *Unum* in recto dicit Ens & negationem divisionis in se, à se & ab alio in obliquo. *Verum* transcendentaliter est ens prout aptum terminare cognitionem veram. *Bonum* est id quod in se perfectum est. Unde bonitas transcendentalis est perfectio rei essentialis, quæ consistit in omnium prædicatorum essentialium integritate.

CONCL. II.

De Substantia.

Substantia est *Ens per se*, hoc est, quod primariò & per se intenditur à Natura. Illud autem non primariò & propter se intendi dicitur, quod intenditur propter

aliud adæquate ab ipso distinctum. Unde quod intenditur propter aliud, cum quo saltem inadæquotè facit idem, adhuc propter se intendi dicitur, ut Materia & Forma Substantialis. Ratio univoca, in qua Substantiæ omnes completæ conveniunt consistit in exigentia, qua substantiæ completæ exigunt subsistere incommunicabiliter. Subsistentia est id per quod natura redditur incommunicabilis alteri ut supposito. Non est quid reale naturæ superadditum, nec absolutum, nec modale. Superaddit tamen Naturæ geminam negationem unam actualis in existentiæ in alio supposito, alteram aptitudinalis: propter primam Natura humana Christi non est persona, propter secundem Anima separata, quæ est ens incompletum & pars essentialiter constitutiva Hominis, in ordine ad quem disseruimus hactenus de cæteris.

O. A. M. D. G. & B. M. V. H.

FINIS.

INDEX RERUM POTIORUM.

A.

Cen-

Imma-

FINIS.